



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

Liber CLXXXIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)



Delphensium Mulierum tumultus .

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

CONTINUATÆ.

LIBER CLXXXIX.



PAULUS V. SUMM. PONTIFEX.
RUDOLPHUS II. OCCID. IMP.

§. I.

*Passaviensium militum tumultus in
Austria.*

Hujus anni post Christum natum
millesimi quingentesimi undeci-
mi auspicia funestis successibus
nimium fœcunda fluebant; quamvis
enim Henricus Julius Brunsvicensis
Hist. Eccles. Tom. LV. A Dux

Sæc. XVII.
A. C. 1611.

*Merc. Gal-
lobelg. annal.
tom. 6. l. 4.
pag. 680.*

Sæc. XVII. Dux in conventu Viennæ habito Leopoldi Archiducis milites, qui in Episcopatu Passaviensi substituerant, dimitti, totis viribus urgeret, nihilominus hi, cum quæstorum iniquitate æs militare non solum quererentur, excusso obsequii jugo sibi ipsis per publicas gratificationes stipendium procurare decreverunt, atque anno priori motis castris die decima nona Decembris Lincium versus populabundi excurrere: re compta Matthias Rex confestim literas ad fœderatos Bohemiæ Ordines rogatum misit, ut exigente ita necessitate auxilio sibi essent. Interim seditiosi hi milites ductore Ramæo ulterius progressi, Mense Januario Austriacas supra Anisum Regiones trajecto Danubio fœde depopulabantur, tandem vero promotis Mauthusio castris in Bohemiam iter flecebant, ac primo Budewifium oppidum ad fines Bohemiæ situm astu intercipientes, præter opimam prædam, triginta belli tormentis, & magna pulveris pyrii parte potiti sunt. Die decima tertia Februarii Beraunio, quod unacum Crumlavia paulo ante occupaverant, Pragam versus contenderunt, ad quos tamen Leopoldus ipse fatim sese recepit, cum ipsis de solutione & discessu acturus: Advenerat tum quidem fecialis Cæsareus, mandatum

datum ab Imperatore deferens, ut hi ^{Sæc. XVII.} milites Crumlaviam recederent, & ^{A C. 1611.} quod restaret solutionis, ibi expectarent. Attamen, cum se duntaxat ad vindicandam Cæsareæ Majestatis auctoritatem adventasse caussarentur, die decima quinta Februarii summo mane irruptione non minus improvisa, quam truculenta *Minorem*, ut vocant *Pragam* occupant. Visa fuit ea res satis opportuna quibusdam civibus, novam sectam profitentibus, necnon Hussitis, qui sub specioso tumultus coercendi obtentu unacum militibus in aliquot Religiosorum monasteria involarunt, atque ex iis quosdam per fenestras, vel per valvas tectorum & turrium, quo confugerant, vel omni vestitu nudatos per declivia summorum culminum detru-
fos in capita crudeliter proturbarunt, alios denique pessime habuerunt, quorum tamen totum crimen erat Religio Catholica: Nec eos Templorum Sanctitas absterrebat, quominus perfractis foribus, fenestris, & statuis omnem Sacrum Ornatum diriperent, & per plateas publice spectandum proferrent. Die sequenti arcem occupant, necnon Bohemos Prælidarios utpote viribus & numero inferiores, ut ad eorum signa transirent, compellunt.

Sæc. XVII.
A. C. 1611.

§. II.

Passavienses milites exaudtorati.

*Carafa com.
de Germ.
rest. pag. 47.*

Cum milites, civesque annonæ inopia premerentur, Leopoldus Archidux ad veterem urbem admitti postulabat, quinimo Cæsar pejora veritus, & dolosa horum militum sensione delusus die decima octava Februarii edicto ad trium Pragensium arcium Præfectos transmissis illos admonuit, ut juramenti Religione se cum militibus, quod neutra pars alteram sub pæna capitis lædere velit, obstringerent. Verum hi in responsis dabant, quod quidem a Cæsaribus partibus starent, militibus vero sese submittere haud possent, quibus quidem transitum per suum oppidum, & ad victum necessaria concedere parati essent, dummodo Cæsar eos statim dimittere velit, hancque in rem ipsi ducenta florenorum millia suppeditare sponderent. Annuuit Cæsar, potissimum commotus lacrimis mulierum & infantium, qui se a barbara horum militum sævitia liberari impense efflagitabant: Interea veteris oppidi cives, cum ingentem prædam a Ramæo corrasam non ita pridem Walbariam versus transvehi comperirent, mox cum aliquot militum cohortibus
erum-

erumpentes, hæc spolia ex itinere feliciter retraxerunt. Præterea Cæsar decimo Martii die, ut datam fidem liberaret, soluto trimestri stipendio milites urbe excedere iussit, qui etiam Ramæo ductore suo destituti, qui jam biduo ante clam discesserat, cum Mathiæ Regis adventum vererentur, circa tertiam noctis horam abiere, Beraunium, & inde Budevitium profecti: nihilominus tamen adhuc tam in hoc oppido quam alibi per regnum grassabantur, unde Cæsar singulis viatici nomine pecunias erogari, ac præteritorum veniam promitti iussit, quo facto unam omnes intra paucas horas disparuere.

Sæc. XVII.
A. C. 1611.

Merc. Gallo-
belg. tom. 7.
l. I. p. 30.

§. III.

Ramæus hujus exercitus Belliduc in suos Tribunos sæviens.

Ex Belliducibus pauci admodum unacum Leopoldo Passavium rediere, ex quibus soli Laurentio Ramæo datum erat copias reducendi negotium. Hic Budevitium, ubi ipsa Curia ei ad habitandum erat assignata, delatus, novem Ordinum Ductores, & equitum Tribunos ad coenam invitabat, qua finita alium post alium ad privatum suum cubile accersens, singulos proximum cubiculum ingredi iussit, accepturos ibi

Slavata
chron.

Sæc. XVII. a vigiliarum Præfecto arcani mandati
A. C. 1611. exequendi rationem. Primo ex illis
 ad cubile admissis, fores clauduntur, eique mortis sententia denuntiatur, eo quod Pragæ se tumultuantium Ducem præbuisset, & cum Turronio Comite, aliisque Proceribus clam collusisset, proin caput obtruncandum daret, quo per carnificem abscisso, sublatoque ejus corpore alius post alterum ex hisce Ductoribus, rerum ignari una omnes ad lanienam intrarunt, caput posituri. Peracto supplicio Ramæus cæsorum corpora jussit in forum deferri, appensa cuilibet tabella, qua eos ob clandestina cum Cæsaris hostibus consilia capite mulctatos significatum. Hæc ubi exercitus per vicinos Pagos distributus intellexerat, miseratione in rabiem mutata urbem obsidet, & Ramæum sibi tradi postulat, qui tamen ea adhuc nocte fuga dilapsus erat: Fertur, hosce miseros proditionis imputatæ ignaros fuisse: id certum est, quod Leopoldus Ramæum postea in Alsatia captum, ac in vincula conjectum præmissis examine capite plecti jusserit.

§. IV.

Mathias Hungariæ Rex cum exercitu suo Pragam veniens.

Inte-

Interim die vigesima quarta Martii Mathias Hungariæ Rex a Bohemiæ, Silesiæ, & Moraviæ Ordinibus evocatus cum numeroſo milite Pragam venit, in civitatem veterem cum applaufu introductus: Prima ipſius cura, rebus Pragæ, quantum fieri poterat, compositis, eo collimabat, ut cum Rudolpho Cæſare fratre ſuo in gratiam rediret: præprimis vero ad ſedandos Procerum motus Bohemiæ regnum ſibi honeſtis conditionibus cedi poſtulabat, ad hæc vero attonitus hæſit Cæſar, ægerime ferens, coronam, quam contra tot validos hoſtes immotam ſervafſet, a fratre ſibi eripi.

Sæc. XVII.
A. C. 1611.

*Piaſeccius
chron. geſt.
pag. 275.*

§. V.

Mathias in Bohemiæ Regem ſalutatus, atque inauguratus.

Jaſtabantur aliquamdiu ultro citroque graves querelæ; inſtabant Proceres, ac præcipue Brunsviceniſis Dux: Cæſar quoque declarabat, ſe nihil, niſi de Electorum conſilio facturum; horum enim Conventus Mulhuſii, poſtea Norimbergam translatus, celebrandus erat, in quo de reſtituendâ Cæſaris auctoritate & pace in Imperio conſervanda ageretur, ſub idem quoque tempus Philippus Reingravius Chriſtiani Saxo-

*Calmet Hiſt.
Univerſ.
lib. 150.
Slawata l. c.
Piaſec. p. 275.
Ortcl. Rediv.
chron. Hung.
pag. 28.*

Sæc. XVII. niæ Electoris literas attulerat, scriptas
 A. C. 1611. ad Mathiam Regem & Ordines Bohem-
 iæ, quibus Elector, qui semper Cæsaris jura immoto studio tuebatur, præcipue Ordines monebat, ut Imperatorem, qui per triginta quinque & amplius annos tranquille gubernaverat, de motis tumultibus excusarent, culpa in inquietos homines rejecta, quibus puniendis ea ipsi prudentia uterentur, ne innocuis ad supplicium raptatis leges Regni violarent, & unacum Cæsare Electores ac Imperii Ordines offenderent, sua igitur consilia ita temperarent, ne Cæsari debitam subtrahant obedientiam, eique in proventa ætate sua mœrorem ac molestiam crearent. Ducem quoque Brunsvicensem hortabatur, ne Cæsarem dereliqueret, simulque Mathiam Regem moneret, ne nimium præcox Bohemæ diadema, quod sibi alias jam ab Ordinibus promissum ac confirmatum esset, ambiret. Hæ literæ haud parum Cæsaris firmabant animum, nihilominus die duodecima Aprilis celebratis Ordinum Comitibus declarabat, quod veritus, ne inopino ex hac vita decedens Regnum novis expositum dissidiis reliqueret, Mathiam fratrem in Bohemæ Regem proclamari permetterent, spe fretus, eos sua eidem obsequia præstituros: His
 vero

vero diebus frequentes ex variis locis Sæc. XVII.
 Legati Pragam confluxerant, quocirca, A. C. 1611.
 quamprimum Mathias Rex die vigesima
 sexta Aprilis sese in arcem Pragensem
 contulerat, congregati Bohemiæ Pro-
 ceres præcipue instabant, ut Rex inter
 Catholicos & Protestantes conventa post
 inaugurationem rata haberet: Moravi
 quoque & Silesii ultra quadraginta no-
 vem gravamina prælegi, & Pragenses
 vetera sua privilegia innovari cura-
 bant: Protestantes vero Ecclesiastico-
 rum jurisdictionem restringi petebant.
 Tandem vero opera Henrici Brunsvi-
 censis Ducis reconciliatio Cæsarem in-
 ter & Mathiam his conditionibus co-
 luit. I. Rex ex Bohemiæ vectigalibus
 Cæsari quotannis trecenta aureorum
 millia solvat. II. Cæsar quasdam Præ-
 fecturas unacum Arce Pragensi in vita
 retineat, vel sedem, quocumque velit,
 libere transferre permittatur. III. Ju-
 risdictionem Imperialem plene reti-
 neat. IV. Bohemiæ totius administra-
 tionem, retento titulo, Mathiæ cedat.
 V. Stipendia Ministris solvantur, &
 Consilarii omnes captivi in libertatem
 vindicentur, unacum Tenagello, qui
 usque ad tormenta vexatus fuit. His
 utrinque firmatis Bohemi, Silesii, ac
 reliqui a juramento, quo hæctenus Cæ-
 sari obstringebantur, soluti fuere: die

Sæc. XVII. autem vigesima tertia Maji Mathias
 A. C. 1611. Rex a Dietrichsteinio Cardinale, qui
 Caroli de Lamberg Pragensis Archiepi-
 scopi tum graviter ægrotantis vices sup-
 plebat, in Regem Bohemiæ solempni
 ritu inauguratus est, omnium festiva
 acclamatione prospera quæque in Re-
 gno præfagiente.

Postea novus Rex hanc suam inau-
 gurationem a Cæsare ratihaberi, ac
 subscribi petebat: quanta autem repu-
 gnantia id evicerit, testis est Guiliel-
 mus Slavata Regni Cancellarius, qui
 tum præfens erat; refert enim, quod
 Rudolphus non digitis, sed toto pugno
 calamum arripiens, chartam potius
 macularit, quam subscripserit, pileo
 etiam abjecto, calamum morsu acden-
 tibus distraxerit. Hæc ille.

His omnibus ita compositis Mathias
 Rex die vigesima tertia Augusti Praga
 Viennam, quo etiam Cæsar vigesima
 sexta Octobris advenerat, solempni co-
 mitatu contendit, ubi quinquaginta
 tres annos natus die quarta Decembris
 nuptias celebrabat cum Anna Catha-
 rina filia Ferdinandi Archiducis Co-
 mitis Tyrolensis, qui filius erat Ferdi-
 nandi I. Cæsaris.

§. VI.

Sæc. XVII.
A. C. 1611.*Jutrobocensis Principum Conventus
in caussa Juliacensi.*

Iniquo prorsus animo ferebant Principes Juliacensis Ducatus Competitores, quod Neoburgicus ac Brandenburgensis urbem armorum vi occupatam, exclusis aliis, quiete possiderent, quocirca ineunte Mense Martio Jutroboci, oppido sex circiter milliaribus Lipsia distito Principum quamplurimi conventum celebrarunt, ubi inter eos tandem decima octava ejusdem Mensis sancitum, ut cum Neoburgico & Brandenburgensi Ducibus Elector Saxonix Juliacenses ditiones æquo jure possideret, selecto utrinque ad id idoneo Senatu, ac præstito his tribus Principibus fidei juramento, reliqui vero decisa hac controversia, illum qui vicerit, Dominum agnoscerent: Saxonix autem Principes pro Neoburgico & Brandenburgico intercederent, ut Cæsar edicta adversus eos promulgata revocaret, & ipsorum caussa coram ipso decideretur, interea vero nulli parti molestia inferretur, ac milites dimitterentur.

*Merc. Gal-
lobelg. an-
nal. tom. 7.
l. I. p. I.*

§. VII.

Sæc. XVII.
A. C. 1610.

§. VII.

*Conventus Principum Unitorum
Rotenburgi habitus.*

*Carafa l. c.
pag. 47.
Merc. Gal-
lobelg. annal.
tom. 7. l. I.
Khevenhill.
tom. 7. p. 380.*

Paulopost Protestantes Electores, Principes & Respublicæ Correspondentes Rotenburgi Conventum habebant, eo fine, ut inter se prius convenirent, de iis, quæ postea in Norimbergensi conventu, quem Mathias Rex pro dissidiis Imperii componendis indixerat, Cæsari, ejusque Legatis responderent. Advenerant etiam Rotenburgam duo Imperatoris Oratores, qui ejus nomine amplas oblationes & promissa fecerant: his vero ruditer responsum, non jam verba, sed operis executionem exigi, Cæsarem jam ante biennium Pragæ esse pollicitum, Donawertham intra quadrimestre in integrum restituendam, Juliacensibus Principibus nullam irrogandam esse molestiam, & nihilominus per Passaviensem & Alsaticum exercitum extrema quæque contra eos connivente Cæsare tentata fuisse. Plures alias querelas adversus Cæsarem proferebant, cum interim Rudolphi literæ Praga advenirent, quibus Cæsar in proximo Electorum conventu Principum postulatis satisfactum iri spondebat. Ad hæc vero Uniti respondebant, se quidem

dem ejus promissis parum fidere, Cæ- Sæc. XVII.
 sare vero, si pollicitationi fides ac- A. C. 1611.
 cesserit, sibi & Imperio quam optime
 consulturum, sin vero minus, non eis
 imputandum fore, si ipsi, ne Imperium
 sub Cæsare ab inquietis & Jesuiticis
 Consiliariis seducto pereat, ad guber-
 nacula, salva tamen Cæsaris reverentia,
 manum pro propria & Sociorum salute
 admoturi essent, de cetero autem, eos
 nullum subsidium Cæsari promissuros,
 nisi prius Principum querelis satisfac-
 tum esset. Dein Polheimium Mathiæ
 Regis Legatum rogabant, ne Rex ab
 Imperialibus Consiliariis, aliisque ex-
 teris Imperio inhiantibus se regere per-
 mittat; secus enim ipsi cum eo minus,
 quam par esset, confidenter acturi fo-
 rent, cum eum consilia sua non aliun-
 de, quam a Papa, ejusque affectis de-
 promere suspicarentur. Dimissis ita Le-
 gatis Protestantes de mutua inter se
 ope & subsidiis consultabant, ac bellicis
 officiis in omnes casus distributis, di-
 spositoque valido armorum apparatu ci-
 vitatum Oratores sua proponebant gra-
 vamina, quibus ab Unitis Principibus
 pro præsentis rerum conditione satisfac-
 tum, & quidem primo sancitum, ut
 Uniti Principes in Brunsvicensi causa
 neutri parti adhærerent, sed Principem
 cum civitate ad concordiam reducere
 fata-

Sæc. XVII. fatagerent: Aquisgranenses vero in
A. C. 1611. cæptam caussam prosequerentur, & re
 id exigente, vi etiam armata & Prin-
 cipum auxilio sese defenderent, cum
 Catholicis tamen in pace victuri: Co-
 loniensem vero Magistratum, qui Pro-
 testantibus extra urbem ad conciones
 convenire inhibuit, furere finerent, do-
 nec vel ipsum suæ insanix pœniteret, vel
 tam felix Germaniæ status rediret, ut
 inquisitionis ejusmodi Hispanicæ satelli-
 tes unacum Papæ Nuntio sedem istam
 inique usurpantes cum Authore suo de-
 ferere cogerentur. De foederibus etiam
 cum extraneis fuit actum, Legatique
 in Gallias, Angliam atque Belgium
 missi, qui auxilia pro asserenda Imperii
 Majestate, Religionis & libertatis
 defensione peterent, vicissimque opem
 promitterent. Genuensibus quoque auxi-
 liorum spem fecerant: Denique suis
 æqualibus Imperii Principibus, Catho-
 licis, nullo licet jure subjectis leges
 præscribere non dubitabant, datis li-
 teris postulantes a Wormatiensi Episco-
 po, ut Jesuitas introducere cesset, in-
 troductosque iterum abducat, a Bam-
 bergensi vero Antistite, ut contra Im-
 perii Constitutiones ob Religionem Pro-
 testantes infestare desinat: Cameræ au-
 tem Cæsareæ Judicibus facta etiam
 comminatione inhibuerunt, ne dein-
 ceps

ceps ad quævis Catholicorum postulata Sæc. XVII.
 actiones instituerent, cum eas tamen A. C. 1611.
 Evangelicis denegarent. His decretis
 post actas Deo grates pro tot tantisque
 incrementis unioni huic ad Religionem,
 patriam & libertatem tuendam directæ
 concessis, huic Conventui die vigesi-
 ma secunda Augusti finem imposuere.
 Eousque sub specioso patriæ, liberta-
 tisque tuendæ obtentu propagandæ
 sectæ fanaticus hominum animos ab-
 rripere valuit.

§. VIII.

*Solemnes Disputationes Parisiis a
 Fratribus Dominicanis habitæ.*

Convenerant hoc anno Parisios præ-Serres'
 ter Augustinum Galamanium su-Franc. Hist.
 premum totius Ordinis Moderatorem, pag. 898.
 Dominicani plusquam quadringenti Merc. Gal-
 quinquaginta toto orbe delecti, lobelg. annal.
 uti Henricus IV. Franciæ Rex ante tom. 6. l. 4.
 biennium petierat, generalia sua cele-pag. 696.
 braturi comitia. Prima die Sacro so-Gramond.
 lemni ipse Ludovicus Rex magno Prin-Hist. Gall.
 cipum & Procerum comitatu cinctus l. 1. p. 21.
 intererat, qui etiam amplissimis verbis
 suam in hosce Patres benevolentiam
 prolixè testabatur. Eodem quoque ho-
 nore utraque Regina eos venerabatur:
 Incæptis igitur Mense Majo comitiis per
 octi-

Sæc. XVII.
A. C. 1611

*Argentré
coll. Jud.
Facult. t. 2.
pag. 43.
Abregé hist.
tom. 10.
pag. 236.*

octiduum duodecim in Templo conciones selectissimæ, & pro undecim Nationum confluentium numero totidem habebantur Theologicæ Disputationes, quibus nomine Regis, cui primæ Theses erant dicatæ, intererat Episcopus Bajonensis, præter Cardinalem Perroonium, Ubaldinum Nuntium Apostolicum, quinque alios Episcopos, Proceres, Abbates & Regiæ Curiæ ac Sorbonæ Doctores; jam enim die secunda ejus Mensis Facultas statuerat, ut singulis diebus ad minus quatuor Baccalaurei in hisce disputationibus oppugnaturi interessent. Ibidem P. Wiberus Rosembach natione Germanus in nona disputatione Præside P. Cosma Morellio Colonienfis Conventus Regente die vigesima septima Maji has propugnabat Theses. I. *In nullo casu Concilium est supra Papam.* II. *Hic in fide & moribus errare nequit.* III. *Pontificis est dubia decidere, Concilia proponere, decisa confirmare vel infirmare, & partibus Silentium perpetuum imponere.* Erant hæ Theses nuncupatæ Ernesto Colonienfi Archiepiscopo & Electori. Comperto harum Thesium tenore mox excandescebant Regiæ Curiæ Senatores, & accersito P. Coisteau Parisino Doctore, Priori & Concionatori Regio injungunt, ut circa hoc argumentum disputari prohi-

prohiberet: Edmundus quoque Riche-
 rius Theologicæ Facultatis Syndicus Sæc. XVII.
A. C. 1611.
 incæpta jam disputatione, unacum qua-
 tuor Sorbonæ Doctoribus accesserat,
 & præfatam Patrem Coiffiteau Domi-
 nicanum, quem forte obvium habuit,
 acerbius increpat, eoquod hanc Thesin
 Concilii Constantiensis decretis, quæ
 in Galliis certæ essent veritates, ad-
 versam publice in hoc Regno exponi,
 & totam Galliam schismatis ac hæresis
 insinulari permetteret, si tamen, ad-
 debat ille, „Magnus Henricus IV. ad-
 „huc vita superstes foret, certe hanc
 „doctrinam propugnare non ausi fuif-
 „setis, ideo nempe Religiosi Nuntio
 „Apostolico,„ (sugillabat Scappium
 Nuntii Auditorem, qui Dominicanis
 Germanis suadebat, ut extollerent au-
 ctoritatem Pontificis, cui omnia sua
 privilegia in acceptis referre teneren-
 tur) obtemperant, quia a Papa privi-
 legia juri communi contraria sperant:
 de cetero, inquiebat, palam reclama-
 bo, ne Facultatis silentio ea a Majo-
 rum suorum placitis recedere credatur.
 Confestim igitur Magistro Morellio Præ-
 sidi, significari iussit, quod Syndicus
 nomine præfatæ Facultatis, sese septi-
 mæ, octavæ & nonæ assertioni opposi-
 turus esset. Has oppositionis literas,
 ubi dictus Parisiensis Prior perlegerat,

Hist. Eccles. Tom. LV.

B

pa-

Sæc. XVII. palam testabatur, quod se infcio ac in-
A. C. 1611. consulto fuissent expositæ, cum ipse
durantibus hisce comitiis nulla in suo
conventu auctoritate polleret, de ce-
tero autem juxta Curia Regiæ inter-
dictum omnibus Magistris injunxisset,
ut hæc Theses non impugnarent, id-
que R. P. Generalis jam Præfidi & ejus
defendenti prohibuisset. Hoc audito
Richerius, revocato oppositionis decre-
to, Patri Coiffetau insinuabat, ut ad
sedandam hanc litem quidam Bacca-
laureus unam ex tribus assertionibus
aggrederetur, Præses vero mox respon-
deret, sibi a suo P. Generali vetitum
esse, de his in Francia respondere.

§. IX.

*Controversiæ adversus hæc Theses
motæ successus.*

*Argentæ
l. c.*

Placuit Gallis hoc Syndici consilium,
juxta quod Claudius Bertin primi
Ordinis Sorbonicus Magister ita exor-
sus est: Quicquid adversatur æcume-
nico & legitimo Concilio est hæreticum,
hæc Thesis: *in nullo* &c. adversatur,
igitur &c. Verum ad hanc vocem Se-
dis Apostolicæ Nuntius infremere cæ-
pit, Præses vero mox assurgens ait:
„noli dicere hæreticum, satis est, si di-
„cas, *falsum aut erroneum.* Ego autem
profi-

„profiteor, quod has Theses non Aca- Sæc. XVII.
 „demiam offendendi, sed veritatis in- A. C. 1611.
 „quirendæ animo exposuerim, si au-
 „tem in vestra Academia veritatem dis-
 „quirere non licet, ubinam gentium
 „enucleabitur? hanc quoque thesin non
 „tanquam de fide, sed velut problema-
 „ticam exposui, a multis aliis Acade-
 „miis propugnata. „ Ad hæc Papæ
 Nuntius omnino de hoc argumento di-
 sputari præcepit, applaudente Scap-
 pio ejus Auditore. Tum vero inter
 Doctores Gallos, & Academicos & Au-
 ditores ingens exortum est murmur &
 conclamatio: Sanguinius quoque Cu-
 riæ Consiliarius thesin publice dilace-
 randam, Hacquevillus vero Præses
 hanc propositionem esse hæreticam con-
 tenderunt. Sedato nonnihil tumuku
 Cardinalis Perronius iterato affirmabat,
 hanc quæstionem esse problematicam
 ob exceptiones, quas Ultramontani
 Concilio Constantiensi opponerent. Dein
 Richerium Syndicum ad se accersiri
 jussit, ab eo sciscitatus, ecquid causæ
 habuisset, ut super hos articulos, insu-
 perhabito Regio mandato disputari
 præcepisset, & an censeret de illis di-
 sputandum esse? Ad hæc reposuit Syn-
 dicus, quod id fecerit, ut quodam actu
 publico & Præsidis oppositione mani-
 festum fieret, doctrinam Facultatis sar-

Sæc. XVII. tam servari, hoc vero Curiae manda-
 A. C. 1611. tum soli Præsidi & Parisino Priori in-
 notuisset, ipse autem probe nosset, Re-
 gios Consules haud ægre laturos, si
 antiqua doctrina per ejusmodi publi-
 cam intercessionem vindicaretur: de
 cetero Cardinalis judicio relinqueret,
 an hæc controversia nunc pertractanda
 vel silentio premenda foret? His au-
 ditis Præses iterata obtestatione inter-
 posita, sede hac thesi responsurum asse-
 ruit. Annuente igitur Nuntio Aposto-
 lico Bertinus Doctor sic prosequebatur:
*Hæc pars in Concilio per Martinum V.
 approbato damnata fuit, falsa igitur &
 erronea est.* Præsidi autem id expli-
 cante de schismatis tempore vel Papa
 dubio, aliasque solutiones adducente
 Cardinalis Perronius disputationi finem
 imponi jussit, Syndicus vero impense
 eum rogabat, ut Bertinus suum ar-
 gumentum prosequi permetteretur, qui
 etiam hæc opposuit: *quicquid Papa ex
 Cathedra respondet, aut confirmat, est de
 fide, sed Martinus V. omnia acta Concilia-
 liter facta confirmavit &c.* Cum autem
 Præses reponeret, Martinum dissoluto
 Concilio per specialem Bullam Wiclefi
 & Hussi errores damnasse, idque ar-
 gumento esse, quod decreta quartæ
 & quintæ Sessionis minime roborasset,
 ad hæc objecit Bertinus, inauditum
 esse,

esse, quod, qui Concilio, dum delibe-
raretur, interfuisset, & eidem qua Papa,
dum concluderetur, præsens fuisset,
quædam Synodi acta pro animi sui ar-
bitrio comprobaret, alia vero respue-
ret: sicut nec Papa, quamvis absens
fuerit, singulos Tridentini Canones per
singularem Bullam approbavit, dein
Bertino argumentum suum ulterius
promovente, Cardinalis Perronius re-
lictâ hac quæstione de Eucharistia di-
sputandum indixit, quo factò hæc con-
certatio finem habuit. Postrema die
Maji alia habebatur disputatio, ea ta-
men lege, ut nullus argumentum pro-
poneret contra hanc thesin præter alias
sexaginta duas tunc expositam: *Verita-*
tes fidei definire solius Pontificis est, qui
in hoc errare non potest. Ejusmodi do-
ctrinas in Galliis exponendo Domini-
cani peccabant, eo quod in Schola An-
gelica accommodatitiam Theologiam
pro temporis, locorumque opportuni-
tate adhibere, edocti non fuissent.

Sæc. XVII.
A. C. 1611.

Vide infra
S. XX.

§. X.

*Franciæ Regis edicta contra Aleato-
res & Duella.*

Constabat, quod in variis Franciæ
urbibus alearum usus tantopere in-
valuerit, ut quamplurimi honesto loco
nati

Serran.
Franc. Hist.
pag. 900.

Sæc. XVII. nati non modo feriis sese negotiis sub-
A. C. 1611. traherent, sed etiam cum ingenti fa-
 miliæ & honoris dispendio patrimonium
 prodigerent, & ære alieno gravati fi-
 dem fallerent, suosque creditores tur-
 piter circumvenirent. Huic ergo malo,
 ut Rex tempestivo occurreret remedio,
 die trigesima Maji edicto per universum
 Regnum promulgato hunc lusum indi-
 ctis gravioribus pœnis inhibuit. Ea-
 dem severitate Rex innovabat edictum
 contra Duellantes ab Henrico Patre suo
 conditum; cum enim quidam hanc le-
 gem eluderent, sub obtentu, quod
 non ex condicto, sed casu forte in lusu
 verbulo offensi, ad duella devenerint,
 hinc Rex suo edicto hanc quoque for-
 tuiti concursus simulationem reprobans
 in transgressores pœnam capitis sta-
 tuebat.

§. XI.

*Brunsvicensis Senatus causa adver-
sus Henricum Julium Ducem.*

*Merc. Gallo-
 belg. annal.
 tom. 6. l. 4.
 Et tom. 7.
 lib. 1.
 Joan. Taut.
 in disc. de
 Rerump.*

Jam ab anno Christi millesimo sexcen-
 tesimo quinto ingens fervebat dissi-
 dium inter Senatum Brunsvicensem, &
 Henricum Julium Ducem, qui Bruns-
 vicum urbem sibi hæreditariæ successio-
 nis jure plane subjectam contendens
 eandem cinxerat, sed Cæsaris edicto
 obsidio-

obsidionem solvere compulsus fuit. Cum Sæc. XVII.
autem Dux Cæsari assiduam, fidamque A. C. 1611.
semper operam usque adeo præstitisset,
ut vix non Mathæ Regis indignationem Londorp.
incurrisset, Rudolphus Imperator di- tom. 3.
scussis causæ meritis, ac diu in Judi- Lib. XII.
cio aulico agitatis, Brunsvicensem pag. 701.
Senatum, cum ad amica consilia pertrahi,
haud posset, die quinta Junii proscri-
ptionis severitate compellere statuit,
misso hanc in rem feciali Cæsareo, de
cujus tamen adventu Senatus certior
factus, eundem monebat, ne urbem in-
grederetur, a civibus male mulctan-
dus: Senatores tamen ad illum egressi,
Cæsaris mandatum cum solita reve-
rentia exceperunt, dimisso dein Fæ-
ciali Cæsareo, quem tamen cives tur-
matim ex urbe excurrentes convitiis
non modo, sed & luto & lapidibus pro-
pulsarunt, ejusmodi petulantibus Cæsa-
ris auctoritatem vilipendere jam assueti.
Nihilominus indulgentissimus Impera-
tor adhuc pœnam suspendit, ac comi-
tiis die vigesima quinta ejusdem Men-
sis Halberstadii habitis per suos Lega-
tos eis rursus significari præcepit, ut
intra annum Duci satisfacerent, si ve-
ro non parerent, proscriptionis decre-
tum contra eos promulgandum esset.
Cum igitur causæ suæ patrocinium a
Cæsare sibi polliceri haud possent, Ma-
thiam

Sæc. XVII. thiam Regem, deprecantibus Anseati-
 A. C. 1611. carum civitatum Legatis, convenere,
 supplices, ut eos adversus iniquam vim
 protegere dignaretur: quoniam vero in
 præfato proscriptionis diplomate ipsis
 exprobratum fuisset, quod Duci insidias
 struxerint, & per exploratores, & in-
 cendiarios plurima damna intulerint,
 hinc edicto publico profitebantur, ea
 ipsis nequidem in mentem venisse, sed
 duntaxat pro necessaria defensione pau-
 cos milites conscripsisse. Suffragaban-
 tur eis Uniti Principes Protestantes,
 qui in Rotenburgensi Conventu statue-
 bant, quod Cæsareæ proscriptionis pro-
 mulgatio in eorum ditionibus non esset
 permittenda. Hæc tamen causa ob-
 eunte Cæsare aliquamdiu suspensa hæsit.

§. XII.

*Protestantium Aquisgranensium tu-
 multus nondum sedatus.*

*Merc. Gal-
 lobelg. annal.
 tom. 7. l. 1.
 Ludolph.
 l. 11. cap. 2.
 num. 30.
 Khevenhill.
 tom. 7.
 pag. 406.*

Crescebat indies Aquisgranensium Pro-
 testantium petulantia, ac ipsa tem-
 poris mora malum tantopere invalesce-
 bat, ut ex privato tumultu commune
 inter Catholicos & Protestantes bellum
 enasci timeretur, cujus flammæ, ut
 tempestive extinguerent, Julienses
 Principes Brandeburgicus & Neobur-
 gensis, suos eo Legatos decreverunt,
 qui

qui sublatis diffidiis pacem inter Magistratum & cives restituere niterentur. His igitur Protestantes libellum porrexere, quo hujus tumultus causam exponentes, inde ortum esse inquiebant, quod superioribus annis Calvinii & Lutheri Sectatorum numerus inter Senatores & Cives adeo excreverit, ut Senatores Protestantes Religionis suæ exercitia publice in urbe haberi permitterent, Sacerdotibus & Catholicis reclamantibus, qui implorata vicinorum Principum ope, hæc exercitia abrogarunt, & causa ad Cæsaris Aulam delata obtinuerant, ut exauctorato Senatu A catholicis novus ex Catholicis constitueretur, cujus mandato Religionis usus abrogatus fuisset, & cives ad illius exercitia, quæ Juliacenses Principes in vicinia publice instituerunt, ex urbe confluentes, carcere, aliisque multis affecti essent, licet ejusmodi accessus Cæsareo edicto nec prohiberetur, nec liberæ Imperiali civitati inhiberi posset. His expositis sua postulata jam anno priori proposita sibi concedi petebant. Nihil tamen hæcenus proficere poterant, Protestantibus civium partes, Cæsare autem, & Coloniensi Electore, ac Brabantia Archiducibus Senatus auctoritatem tuentibus: tandem vero Franciæ Rex, ejusque Mater Regina Villiam,

Sæc. XVII.
A. C. 1611.

Vid. Lib.
CLXXXIX
§. VII.

Sæc. XVII. villium, Selvium, & Hotomanum Le-
A. C. 1611. gatos eo decreverunt, quorum etiam
 ope concordia his pactis Senatam in-
 ter & cives restituta est. I. Catholicæ
 Religioni vel cuiquam illam profitenti
 nulla remora vel molestia in Templis,
 Monasteriis, vel alibi inferatur, plena
 Catholicis libertate, omnique immu-
 nitate relicta. II. Circa Protestanticæ
 sectæ exercitium, cum omnino sit de-
 creto, & Constitutioni Cæsareæ con-
 trarium, Heterodoxi apud Cæsarem,
 Electores & Imperii Status se acturos
 spondeant, interim illud in civitate pro-
 hibitum sit, extra illam autem impune
 admittatur. III. Jesuitæ, ut antea,
 suis fungantur Officiis, eisque violen-
 ter ablata restituantur, ea tamen lege,
 ut deinceps sese politicis Senatus &
 civium negotiis non ingessuros polli-
 ceantur. IV. Senatus Catholicus pri-
 stinæ suæ dignitati reddatur, qui nulla
 habita Religionis ratione justitiæ ope-
 ram dabit: Si vero A catholici in Se-
 natum cooptari expetunt, nomina sua
 consueto loco, & tempore, suppedita-
 tis ex ærario publico sumptibus, pro-
 fiteantur. V. Ad urbis securitatem,
 & tollendum tumultus periculum ex
 civibus aliqui, sine Religionis respectu,
 eligantur, qui portis claudendis, at-
 que aperiendis præficerentur. VI. A
 Sena-

Senatu Catholico, & Protestantibus Sæc. XVII. A. C. 1611.
 selecti Archivum & rationum libros in-
 spiciant. VII. Denique æterna sit præ-
 teritorum oblivio, qua nempe Catholici,
 etsi a Protestantibus maxima damna,
 cædes, & injurias passi fuissent, ferme
 semper contenti esse jubentur, licet exi-
 lio, morte, aliisque gravissimis pœnis,
 obtentu infractæ publicæ pacis ab Aca-
 tholicis multentur, si vel leviter quem-
 piam ex ipsis offendisse credantur. Ce-
 terum hæc ipsa compositionis pacta Se-
 natus rata habere recusabat, ea potis-
 simum ratione, quod Coloniensis Ele-
 ctoris, & Brabantia Archiducum Le-
 gati proscriptionis Cæsareæ mandatum
 proferentes, se Imperatoris Delegatos
 profiterentur. His ergo Protestan-
 tes cives omnibus modis restiterunt,
 vicissim vero Francia & Juliacensium
 Legati cives quosdam eligi curarunt,
 qui interim præcipua urbis munia ac
 officia administrarent.

Anno sequenti, postquam Cæsar,
 & Elector Coloniensis e vivis excesserant,
 Protestantes, novusque hic Se-
 natus apud Palatinatus Electoralis Ad-
 ministratorem institerunt, ut hic inte-
 rim eorum res procuraret. Postquam
 vero illius Delegati Aquisgranum ve-
 nerant, Senatus Catholicus eis expo-
 suit, turbatæ pacis causas non sibi,
 sed

Sæc. XVII. sed Protestantibus imputandas, qui
A. C. 1611. per vim legitimum Magistratum dissipato urbis ærario deturbassent: Cæsarei autem mandati contra hosce usurpatores executionem jam ab Electore Coloniensi & Alberto Archiduce esse incæptam, mandato publice affixo, eisque inhibitum, ne ullam transactionem inirent; ceteroquin se credere haud posse, quod novus Imperator eis, qui illius mandatum arreptis etiam armis discerpere moliti erant, suffragaturus esset, interim se paratos esse, apud eum, qui Imperator electus fuerit, causam prosequi. Nilominus hi Palatini Deputati duo hæc capita constituerunt.

- I. Ut Protestantibus æque ac Catholicis Religionis libertas permitteretur.
- II. Ut sine ullo Religionis discrimine in Senatum & reliqua officia passim admitterentur. Attamen neo-electus Imperator eis per suos Legatos hæc proponi iussit. I. Pars utraque a vi abstinere. II. Vetus Magistratus, Consules, civesque omnes Catholici nullis gravaminibus onerentur, nec in jure suo persequendo impediuntur, nec Magistratus in justitiæ administratione turbentur. III. Jesuitæ deinceps nullo pacto affligantur. IV. Haud necessarij ærarii sumptus tollantur &c. cum autem novus Protestantium Senatus his

oppo-

opponeret pacta a Legatis Palatinis Sæc. XVII.
 conventa, denuo Senatus Catholicus A. C. 1611.
 contra illa tanquam irrita coram Cæ-
 sareis Legatis reclamabat: quocirca
 hæ turbæ nonnisi anno Christi millesi-
 mo sexcentesimo decimo quarto com-
 politæ fuerunt.

§. XIII.

*Principum atque illustrium Virorum
obitus.*

Non sine magno Cæsaris, aliorum-
 que Principum luctu inopina morte Welke
Dresdn.
Chron. p. 314.
Lunderp.
lib. 31.
 sublatus est Christianus II. Saxonix E-
 lector; cum enim die vigesima tertia
 Junii cum suis Aulicis ad sudorem us-
 que ludis Equestribus sese exerceret,
 cerevisiæ potu avidius hausto deliquium
 passus, atque apoplexia tactus, eadem
 nocte decessit, qua morte compertâ
 Cæsar statim Joanni Georgio defuncti
 Electoris fratri Electoralem dignitatem,
 quæ hæreditario jure ad eum devoluta
 erat, acceptandi copiam fecit, illum
 hortatus, ut ad fratris sui exemplum
 Cæsaream auctoritatem immota fide
 tueretur. Die autem tertia Octobris
 obiit in Sueffionum oppido Carolus Lo-
 tharingius Maduanus Dux, qui suum
 tuendæ Religionis Catholicæ studium
 præcipue in Gallico foedere contra Hugo-
 not-

Sæc. XVII. nottas testatum fecit, uti sæpius in de-
A. C. 1611. cursu hujus Historiæ demonstratum est.

Daniel hist. Hunc die decima sexta Novembris se-
de France quebatur Aurelianensis Dux secundo
tom. 8. genitus Henrici IV. Filius, qui anno
Serran. Christi millesimo sexcentesimo septimo
Franc. Hist. die vigesima sexta Aprilis natus, vulgo
pag. 901. *Dux Aurelianensis* citra ullum aliud no-
Hartvicus men proprium appellabatur, cujus rei
vita Henrici caussam Hartvicus Antistes subfuisse
IV. pag. 3. putat, quod utpote nondum Baptizatus,
fol. 644. nullo nomine insignitus fuisset: Verum
 quis filium Maria Medicæa tam pia
 Matre natum, jamjam ad quatuor so-
 lidos annos cum semestri provectum,
 nequidem in agone, sacro fonte tinctum
 fuisse credat: forte hic Author cete-
 roquin integerrimus de publicis Baptis-
 mi solemnitatibus intelligendus venit.
 Horum obitum præcesserat Comes Col-
 lonitsius, Vir animi fortitudine, & mi-
 litari experientia clarissimus, qui Pragæ
 decessit die vigesima Maji, militari
 pompa ac honore ibidem sepultus. De-
 mum die trigesima Octobris non sine
 propinati veneni suspicione decesserat
 Margaretha Hispaniæ Regina, Philippi
 III. conjux.

§. XIV.

*Gabrielis Bathorii turbæ in Transyl-
 vania, & Walachia.*

Sub

Sub idem ferme tempus Gabriel Batho-
 rius ab Hæterodoxis in Transylva-
 niæ Principem proclamatus, Hæme-
 stadium per insidias occupabat, Ma-
 thiæ Regis Præfecto unacum ejus Con-
 siliariis in vincula coniectis: nec his
 contentus, palam cum Turcis armo-
 rum societatem inire moliebatur, quo
 comperto Mathias Rex missis Legatis
 eum a nefando hoc proposito absterrere
 satagens, sœdus cum illo pepigit, quod
 tamen mox ipse dissolvit, Heiduccis,
 Tartaris, & Turcis magno numero ad
 sua signa pellectis, quorum ope fretus,
 cum triginta armatorum millibus Wa-
 lachiam invasit, depulsoque Radulo
 Woywoda seu Præfecto, totam circum
 Regionem rapinis, & vastationibus e-
 mensus est. Id ægerrime ferebat Ma-
 thias Rex, cujus imperio Valachia pa-
 rebat: Accedebat insuper his malis per-
 fidia Andreæ Nagii, qui cum ingenti
 Heiduccorum agmine sese Bathorianis
 conjunxerat: Unica spes Regi adhuc
 supererat in Forgatsio Belliduce, qui
 etiam ad Mathiæ imperium nec vitæ
 nec bonis parsurum se spondebat: Ne-
 que dictis animosior quam factis, cum
 suo exercitu Nagium adoritur, eumque
 ad angustias redactum ad Regis obse-
 quium reducit: comperto Forgatsii pro-
 spero conatu mox etiam Radulus in
 Tran-

Sæc. XVII.

A. C. 1611.

*Hungar.
 pac. & Belli
 hist. pag. 1.
 fol. 335.*

Sæc. XVII. Transylvaniam penetrans, Bathorii exercitum prope Cronstadium ad internecionem delet, cumque Transylvani ob Bathorii immanitatem ad defectionem inclinare viderentur, Forgatsius eo contendit, & Claudiopoli ad deditiorem compulsa die vigesima quinta Julii cives Mathiæ Regi conciliat, Bathorio interim Hermestadii, quo confugerat, hærente, & Turcarum suppetias præstolante. Interceperat autem victoriæ cursum iterata Nagii defectio; hic enim collecto suorum agmine Forgatsium fudit, Bathorius vero hac opportunitate usus, Heiduccis sibi conciliatis, ac Turcarum auxiliis suffultus, Forgatsium e Transylvania in Valachiam fecedere compulit, & constituto ad fines exercitu suo omnem militaris auxilii, & annonæ advehendæ opportunitatem interclusit. Unde uno tempore, eodemque puncto res ac spes Mathiæ Regis destructæ; quippe Forgatsius ad ea loca confugere coactus, unde sine summo excidii periculo, certisque hostium insidiis nec progredi, nec pedem referre poterat, hinc absumpto omni comœatu, ingruente frigoris inclementia, ac nivium copia, torquente insuper famis violentia reditum, quo vis demum pretio, tentare statuit, præfixoque die per invia Alpium, silvasque

*Petrus de
Reva Mo-
narch. cent.
7. fol. 906.*

que horrentes, tandem inter innumeras Sæc. XVII.
 calamitates per Moldaviam, ac denique A. C. 1611.
 per Poloniam in Hungariam per-
 venit, non sine magna clade ac exer-
 citus sui strage, quæ priscis cladibus
 par, aut certe haud absimilis fuit. Re-
 stabat misera duræ pacis conditio no-
 minis Christiano indigna, quæ non
 tam pax, quam Servitutis pactio no-
 minari meretur, præsens tamen tem-
 porum iniquitas illam extorserat; qui-
 pe sub obtentu hujus pacis centum se-
 xaginta pagorum libertas, & incolu-
 mitas unacum Religione in diram ser-
 vitutem proscribatur.

§. XV.

*Parisiæ Facultatis Theologicæ judi-
 cium de P. Cotonii apologia.*

Prodiit Parisiis famosus libellus sub Gramont.
 titulo, *Anticotonus*, in quo Author Hist. Franc.
 incognitus Patrem Cotonum, qui lib. 1. Ar-
 Marianæ librum tuebatur, & doctrinam gentre Coll.
 ibi contentam toti Societati haud im- jud. tom. 2.
 putandam divulgato scripto propugna- pag. 37.
 bat, gravissimis impetebat calumniis. Serran.
 Igitur Pater Cotonus adversus hunc Franc. Hist.
 maledicum pro seipso apologiam vulga- pag. 397.
 bat, qua tamen veluti cote multorum
 calami acuebantur, & non pauci So-
 cietatis æmuli alia opponerant scripta,
Hist. Eccles. Tom. LV. C inter

Sæc. XVII. inter quæ quoddam *Anticotonem* appel-
 A. C. 1611. litabant: præcipue vero Edmundus Ri-
 cherius Parisinæ Facultatis Syndicus
 denuntiabat, a Patribus Societatis e-
 ditam fuisse Apologiam, in qua hæc
 haberentur: *quodammodo desiderandum*
fuiſſet, ut Ravallacus legiſſet Marianam,
quoniam Mariana diſerte & expreſſe docet,
Principem legitimum non poſſe occidi ab
ullo particulari, ſua privata authoritate,
hacque in re nihil dicere, quod non con-
gruat Synodo Conſtantiendi, & Decretis
Sorbonæ.

Horum autem verborum ambigui-
 tate, inquiebat Syndicus, Author per-
 ſuadere nititur, Marianæ ſententiam
quodammodo decretis Scholæ Pariſienſis
 contra Parricidas convenire, maxime,
 cum quidam ex Sorbonæ Doctõribus in
 fronte hujus Apologiæ teſtentur, ſe ni-
 hil in ea reperiſſe, quod non eſſet Fa-
 cultati univerſæ conſonum: inde vero
 timendum, ne exteri arbitrentur, quod
 Schola Pariſienſis Concilium Conſtan-
 tienſe, æque ac Mariana, rejecerit,
 proin licitum ſit cuivis Tyrannum oc-
 cidere. Verum penſitatis omnibus hu-
 jus Apologiæ verbis Facultas hanc tu-
 lit cenſuram: Primo, Author hæc verba:
quodammodo &c. non ſatis conſiderate
 ſcripſit. II. Mariana nullo modo cum
 Sorbonæ doctrina convenit, proin Au-
 thor

thor Apologiæ nulla nota perstrictus mentem suam circa hoc Concilium explicet. III. Deinceps nullus Theologiæ Magister publice attestetur, doctrinam cujusdam libri esse consonam Facultatis doctrinæ, nec ulli in suis approbationibus nomen Sorbonæ usurpent, nisi a Facultate consensum obtinerint. Juxta hoc Facultatis decretum P. Cotonus pro se & sua Societate profitebatur, quod omnibus modis Concilii Constantiensis decreta approbet, & Curie Parisiensis decretum contra Marianæ librum, ejusque executionem deprædicet, eique cum Sociis suis contra Socium suum subscribat. Refert quoque P. Juvencus in sua Societatis Historia, quod liber, cui titulus *Anticotonus* tamquam malus & perniciosus atque ad quietem publicam perturbandam accommodus in publico laceratus, & Bibliopola Calvinianus exilio mulctatus fuerit. Nec tamen propterea acquievit Hardevillierius & Servinus, sed in frequenti Senatu asseruerunt, Societatis doctrinam esse inimicam libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, Regni legibus, & Theologiæ placitis: instabant etiam, ut Patres Societatis sententiam suam exponerent circa Sacræ Confessionis sigillum, ad hoc autem respondebant Jesuitæ, secretum

Sæc. XVII.
A. C. 1611.

Sæc. XVII. Confessionis esse de jure Divino & naturali, meliusque esse consultum securitati Principum, si hoc sigillum severissime custodiatur.

§. XVI.

*Ejusdem Facultatis censura adversus
Philippi Mornæi Calvinistæ
librum.*

*Argentré
coll. Jud.
pag. 49.
Abregé
chron tom. 3.*

Ediderat denuo Philippus Mornæus Præfatus Calvinista nefandum quemdam librum, cui, ut ex hædera fæcinæ cognoscerentur, hunc titulum præfixit: *Mysterium iniquitatis seu Historia Papatus.* Vix pessimæ hujus mercis notitia ad aures Parisinæ Facultatis pervenerat, cum illico Decanus ac Doctores habito conventu hunc librum selectis Theologis exacte discutiendum traderent, qui etiam die decima nona Augusti referebant, hunc fœtum innumeris ac execrandis blasphemis, impietatibus in Religionem, fidem Catholicam, sanctamque Sedem Apostolicam scaterere, & variis ac propudiosis mendaciorum atque hæreseon pridem damnatarum centonibus interpolatum, denique præcipuum Mornæi institutum esse, ut Babyloniam confusionem in Ecclesiam Catholicam, primatus sanctæ Sedis Apostolicæ, atque unius

„unius Cathedræ Petri everfione, intro- Sæc. XVII.
 „mittat, omnesque Principes Christia- A. C. 1611.
 „nos, ad bellum Sanctiffimo Domino
 „nostro Papæ inferendum, fua turbu-
 „lentiffima oratione inflammet. „

His auditis, atque iterato & ma-
 ture in deliberationem vocatis die vi-
 gefima fecunda ejusdem Mensis una-
 omnes cenfuerunt, hunc librum tanquam
 „legi divinæ, naturali & Canonicæ, Pa-
 „trum antiquorum doctrinæ, praxi Ec-
 „clefiæ Catholicæ, facrisque ab omni
 „memoria hominum in Ecclefia ufitatis,
 „ac receptis, omnino contrarium, hæ-
 „reticum, furiofiffimum, feditiofiffi-
 „mum, imprudentiffimis calumniis at-
 „que mendaciis refertiffimum, dam-
 „nandum, execrandum, ac populo
 „Christiano penitus interdendum. Se-
 „cundo, ut omnes pios Ecclefie Ca-
 „tholicæ & Romanæ assertores hujusce
 „rei necnon imminentis periculi quam-
 „primum commonefacerent, hoc de-
 „cretum latine & Gallice typis vulgan-
 „dum effe ftatuerunt, demum univer-
 „fos Ecclefie Catholicæ Præfules, ac
 „civiles Magiftratus humillime obfecra-
 „runt, atque obteftati funt, ut pro fui
 „officii & authoritatis fibi a Deo creditæ
 „ratione, huic teterrimæ pefti generofe,
 „ac efficaciter occurrere anniterentur. „

Sæc. XVII.
A. C. 1611.

§. XVII.

*Censura ejusdem Facultatis contra
quatuor propositiones ex quibus-
dam sermonibus decerptas.*

Argentre
l. c. Erhard
Bibl. Script.
FF. Præd.
tom. 2.
pag. 375.
Abrege de
l'hist. Eccles.
tom. 10.
l. b. 4. §. 19.

Die prima Octobris Joannes Filesa-
cus Sorbonæ Doctor ac Sancti Joan-
nis Parochus & Parisiensis Ecclesiæ
Concionator, quem Papæ Nuntius, ex-
cluso Richerio, ad Facultatis Syndica-
tum promovere satagebat, in publicis
Facultatis comitiis exponebat, quod
graves ac pii Viri ad eum detulissent
librum, in quo tres Sermones in Bea-
tificatione Sancti Ignatii Loyolæ a va-
riis Panegyristis in Hispania habiti, at-
que a Patre Soliero Jesuita Gallice red-
diti typisque impressi continentur. In his
autem sermonibus offensionem fuissent
quatuor propositiones, & quidem in pri-
ma concione, quam Pater Valderama ex
Ordine FF. Eremitarum Sancti Augu-
stini pronuntiasset, hæc notaretur pro-
positio: *Scimus, quod Moyses sua virga*
tam in aere quam in terra, aqua, & petris,
imo ubicunque voluit, grandia operatus sit
prodigia: ea autem operatum est nomen Dei,
quod juxta Abulensem huic Virgæ inscri-
ptum fuit, non est igitur tantopere mirum,
quod creaturæ Dei sui mandatis suo nomine
signatis obtemperarint. Nec etiam adeo
miran-

mirandum, quod Apostoli tot fecerint miracula, quia hæc in nomine Dei operati sunt, sed quod Ignatius suo nomine in chartis scripto plura, quam Moyses, & totidem quam Apostoli, & quod ejus sigillum tam potens in creaturas habeat imperium, ut hæc eidem illico obediant, hoc nobis Ignatium maxime admirandum exhibet.

Sæc. XVII.
A. C. 1611.

Ex eodem autem sermone hæc etiam deducebatur propositio: *Quamdiu Ignatius vixerat, ejus vita moresque adeo graves, sancti & sublimes erant etiam in Dei judicio, ut eos probe inspicere duntaxat datum fuerit summis Pontificibus, veluti Sancto Petro, Imperatricibus tanquam Dei Matri, & quibusdam supremis Monarchis veluti Deo Patri ejusque Filio.*

Propositio tertia ex sermone Patris Petri Bezæ Dominicani deprompta, erat hujus tenoris: *absdubio ceteri Ordinum Religiosorum Fundatores ad utilitatem Ecclesie missi sunt, novissime autem diebus istis locutus est nobis in Filio suo Ignatio, quem constituit hæredem universorum: dein carpebatur etiam hic Concionator, quod S. Ignatio hæc verba accommodarit: per quem fecit & sæcula.*

Quarta denique propositio Sermonis tertii, quem Jacobus Rebullosa ejusdem Ordinis Barcinnone habuit, ita sonabat: *Ignatius specialiter propensus erat in Sanctum Patrem, & Papam Ro-*

Sæc. XVII. manum, utpote quem pro legitimo Christi
A. C. 1611. Successore, ejusque Vicario in terris habuit.

Displicuit summopere intempestivus
 File'aci fervor Magistro Duvallio, qui
 pluribus demonstratum ibat, quod
 omnes hæ quatuor propositiones in sen-
 su sano, pio, ac Catholico intelligi
 possent: nihilominus Facultas opti-
 me cum D. Hieronymo perpendens
 quod ex verbis etiam male prolatis hæ-
 reses nasci possent, præfatas propo-
 sitiones his censuris notarunt, & quidem
 circa primam censuit, „hanc loquendi
 „formulam, qua nomen creaturæ No-
 „mini Dei omnipotentis æquari vide-
 „tur, ac præterea extenuantur mira-
 „cula, eoquod Dei nomine edita fue-
 „rint, & denique miracula non ita
 „certa miraculis indubitata fide catho-
 „lica tenendis præferantur, esse scan-
 „dalosam, erroneam, blasphemam, at-
 „que impiam.„

De secunda ita pronuntiabat Fa-
 cultas: „ista assertio, quæ fingit aliquid
 „boni Deo accessisse ex visione creaturæ,
 „scandalosa est, ac manifestam hæresim
 „præsefert.„

Tertiam propositionem, quam ta-
 men P. Echard non ita dure in Hispa-
 no idiomate sonare, eamque ab inter-
 prete fors non recte versam fuisse asse-
 rit, Facultas censuit, *accommodationem*
hujus

hujus textus literalis D. Pauli NOVIS-SÆC. XVII. SIME AUTEM &c. alteri quam Christi A. C. 1611. sto, esse scandalosam, erroneam, ac me-
ram blasphemiam, & impietatem redolere.

De quarta pronuntiabat Facultas, quod duas habeat partes inter se pugnantes, quarum altera alteram destruit: & posterior quidem, videlicet Papam esse Vicarium Christi in terris Catholica sit, prior vero, Papam esse legitimum Successorem Christi, modum loquendi contineat omnino hæreticum.

Ad has censuras haud obmutescendum videbatur Jesuitis, qui cum hac in re Sancti sui Patriarchæ Societatisque honorem verti censerent, Patri Soliero negotium dederunt, ut adversus hanc censuram calamum stringeret (*), quo tamen facto rursus, multorum invidiam, indignationemque Jesuitæ in se concitabant.

C 5

§. XVIII.

(*) Scripsit epistolam vindicativam pro sermonibus de S. Ignatio Parisinis literis anno 1611. excusam, in qua contra Censores & Sorbonam invectus, hæc addidit. *Ille, scilicet Sorbona, Jesuitas maledictis afficit, dum interim Chartenonii pro Sorbonistis preces funduntur: Charentonenses nempe Calvinistæ libere Sectam suam ibidem profitebantur.*

Sæc. XVII.
A. C. 1611.

§. XVIII.

Jesuitarum caussa circa Scholas rursus coram Parisiensi Senatu agitata.

Juvenc. hist.
Soc. l. 12.
part. 5. p. 86.
Serres
Franc. Hist.
pag. 903.
Selva Hist.
tom. 2. l. 7.
pag. 287.

Integro ferme anno tota caussa de Jesuitarum scholis suspensa hærebat, quam tamen die nona Decembris Hardevillierius tum Academiæ Rector hoc anno rursus suscitaverat, querendi ansa inde quæsitâ, quod Jesuitæ, non expectata Judicum sententia, & lite nondum decisa, Scholam aperuerint, ac in suo Collegio circiter centum, & octoginta Convictores haud ignobiles in classes diviserint, eisque extraneos quosdam Magistros præfecerint. Videbatur hoc Rectori crimen esse, propter quod tanquam Regio mandato reluctantibus dies diceretur. Igitur ad diem decimum septimum ejusdem Mensis conveniunt Senatores ac Judices unacum tribus Academiæ Advocatis & Petro Martelerio, qui accusatoris partes sustinebat. Ex adversa parte aderant octo Jesuitæ unacum Montholonio Advocato, qui præter expectationem, quin prius de modo & ratione disceptandi cum Martelerio convenisset, ad agendas Societatis partes se vocatum querebatur, cui tamen responsum, fat

fat mirum videri, quod Jesuitæ, cum Sæc. XVII. A. C. 1611. actores essent, ultro causæ cognitionem & iudicium fugerent. Hinc prætermis-
 siss ambagibus primus Curia Præses enuntiabat, placere Senatui, ut actioni initium fieret.

§. XIX.

Academice Parisiensis oppositio adversus Jesuitarum scholas.

Igitur juxta Curia placitum Academia Parisiensis actionem instituit contra *Jæger Hist. Eccl. l. I. cap. 3.* Jesuitas, eosque ad instituendam Juventutem minime idoneos esse, coram Senatu comprobavit, adductis hisce rationibus. Academia, quæ olim omnium Princeps & Regina, totidemque ingeniorum felicissima nutrix erat, jugulum aperte jam petunt Jesuitæ, qui toties moniti, ut ambitioni suæ terminos ponerent, toties ab Aris focusque Academicis depulsi, subinde tamen rursus irrepsere: Præterea in vulgus spargunt, Academiam omniaque studia squallere, totumque Corpus fatali morbo correptum, cui curando nec Regem, nec Senatum, sed solam Societatem parem esse jaçant: Constat vero, laboranti Academiae eos medicos esse quærendos, non qui vetera omnia fastidiunt, nova affectant, qui ut

Sæc. XVII. „ut corvi prædæ inhiantes, nonnisi in-
 A. C. 1611. „jecta in os offa recedere solent. Præ-
 „tendunt equidem Jesuitæ, nil se aliud
 „quærere, quam florem Academiæ,
 „sed voces istæ utut melle tinctæ, fel-
 „le tamen sunt amariores. Experiun-
 „tur id totidem per Galliam Academiæ,
 „quæ jam sub jugo & barbarie Jesuita-
 „rum ingemiscunt, suoque exemplo Pa-
 „risiensem Academiam veluti monent,
 „ut suo periculo sapiat, & instans a Je-
 „suitis periculum fortiter depellat. Spe-
 „ciosum quidem est *Societatis Jesu no-*
 „*men*, ac boni publici pondus & momen-
 „tum in eorum verbis sonat, sed do-
 „ctrina, factaque aliud loquuntur: quip-
 „pe juxta ipsos subditis jugum excu-
 „tere, contra Principes insurgere, quin
 „& eos interficere, insuper miracula
 „*de Patribus confingere licitum est*; non
 „omne mendacium esse illicitum, &
 „Reservationes mentales etiam in Ju-
 „ramentis esse permittas docent: Licet
 „juxta ipsorum doctrinam omnia pes-
 „fundare, ut sola Jesuitarum secta to-
 „tum orbem dogmatum suorum facibus
 „incendat. Postulat igitur Regis, Re-
 „gnique securitas, ut Juventutis Gal-
 „licæ institutio solius Academiæ fidei,
 „quæ ab his dogmatum monstris illi-
 „bata est, permittatur. Mæcenas o-
 „lim Augustus saluberrimo consilio mo-
 „nuit,

„nuit, ut iis erudienda Juventus tra- Sæc. XVII.
 „deretur, qui Imperium Romanum im- A. C. 1611.
 „pense adamarent: Gallorum igitur
 „adolescentum institutio non potest cui-
 „quam tutius, quam Academiæ Pari-
 „sienfi commendari, quæ eodem, quo
 „tota Gallia, spiritu vivit, cum Jesuitæ
 „nonnisi ex aura vivant Romana.,

§. XX.

*Petri Martelerii oratio pro Senatu
 & Academia Parisiensi.*

Inde Petrus Martelerius singularis *Abrege de*
 quidem facundiæ Orator, immodice *l'hist. Eccles.*
 tamen mordax, occasionem arripuit, *tom. 10.*
 pro Universitatis causa suam decla- *Argentre*
 mandi orationem, cujus tamen sum- *tom. 2. p. 53.*
 mam duntaxat proferremus. Præ-
 primis assererat, quod Jesuitæ post
 Henrici IV. obitum suam firmare aucto-
 „ritatem, ac communem Franciæ ca-
 „lamitatem in rem suam vertere intenti,
 „pro consequendo hoc scopo nil arden-
 „tius desiderarint, quam juventutis in-
 „stitutionem sibi solis vendicare: hinc
 „Gallorum demiratur imprudentiam,
 „qui in evertendis eorum consiliis adeo
 „incurii post toties haustam mali expe-
 „rientiam de nullo remedio cogitarunt,
 „cum tamen, inquiebat ille, nostræ pro-
 „les, nec nos, nec Reges nostri secu-
 „ritate

Sæc. XVII. „ritate unquam fruituri sint, novæ
 A. C. 1611. „hujus stirpis hostibus circumdati. Jam
 „a primævo eorum instituto Viri Do-
 „ctrina, pietate & genere longe cele-
 „bratissimi futura, eaque funesta hæc
 „mala hac ipsa in aula præfagiebant,
 „nunc ipso eventu comprobata; jam e-
 „nim triginta abhinc annis hi Patres
 „semper discordiæ flammæ in Galliis
 „accendebant, ac subditos à Regis ob-
 „sequio abducere satagebant: Nunc
 „vero unice intenti sunt, ut suas arces
 „numero & potentia firment, ac eo
 „ipso tempore, quo Universitas Regis
 „sui jacturam deplorat, ipsi vastissimum
 „sui Novitiatus ædificium lætabundi
 „erigunt, & ad suum Collegium Scho-
 „lares admittunt, etsi Regium diploma
 „dolo ac fraude extortum nondum ad
 „acta relatum esset. Intendunt hac
 „agendi ratione Universitatem, quæ
 „semper immoto studio libertates Gal-
 „licanas defendit, evertere, ut Gallicæ
 „Ecclesiæ scuto semel diffracto nec do-
 „ctrinæ suæ nec librorum proscriptio-
 „nem formidare cogantur: jamjam in
 „Galliis plures Academiæ devastarunt,
 „in Moldavia & Valachia ejectis aliis
 „Religiosis ex eorum spoliis sese locu-
 „pletarunt, vixque sextus ab eorum in
 „Franciam reditu annus effluxit, cum
 „jamjam immensas corraserint divitias,
 „plures

„plures Prioratus, atque Abbatias do-
 „losa dexteritate suis adjudicarint Col-
 „legiis: Præterea nostris Majoribus sese
 „doctrinæ suæ novitatibus exosos reddi-
 „derunt, ac licet celebre illud decretum
 „anno 1554. malorum, quæ nunc ex-
 „perimur, vaticinium contineat, nun-
 „quam tamen evincere potuere, ut
 „hoc Sorbonæ decretum fuisset dam-
 „natum a summis Pontificibus, qui
 „absque quarto eorum voto, quo Ro-
 „mæ omnia ad arbitrium obtinuerunt,
 „Societatem veteribus Ecclesiæ Cano-
 „nibus tantopere adversam, nunquam
 „approbassent. Hac ratione anno 1584.
 „a Gregorio XIII. obtinuerunt diplo-
 „ma, vi cuius in omnibus suo Gene-
 „rali, obtemperare tenentur, & hic
 „omnes eorum Constitutiones pro li-
 „bitu interpretandi jus habet, quin
 „nequidem Cardinalium cuiquam eas
 „discutiendi facultas sit concessa.„

Sæc. XVII.
 A. C. 1611.

His præmissis loquebatur de Pontificis
 authoritate, & Bellarminum, Salme-
 ronem, Molinam, Valentiam, om-
 nesque Jesuitas Pontificibus absolutam,
 & Concilio Generali superiorem attri-
 buere asserit. Aggreditur etiam *Bul-
 lam cænæ*, & Jesuitarum culpæ, quod
 nulli in Anglia sint Episcopi, adscribit:
 postea doctrinam eorum circa Tyran-
 norum occisionem exaggerat, eosque
 Hen-

Sæc. XVII.

A. C. 1611

Henrici III. & IV. parricidium commen-
 dasse, Henrici IV. autem tempore eos
 declarasse ait, quod dein a factionibus
 abstinere, ac Regi suo fideles esse ve-
 lint, verum eorum prudentiam in ejus-
 modi casu in hoc constituisse inquit, ut
 temporis opportunitatem præstolentur,
 eorumque consilia nunquam intermo-
 riantur, expectantes, donec sœmen ab
 eis jactum afferat fructum in tempore
 suo. Nonne Joannes Castellus, prose-
 quebatur Martellerius, ipsorum Scho-
 laris dixerat, quod Rex, etsi Catholi-
 cus, quamdiu anathemati subjacet,
 extra Ecclesiam sit, proin trucidandus?
 Nonne P. Guinardus scripserat, *si abs-
 que bello exauctorari nequit, paretur bel-
 lum, si id fieri nequit, trucidetur.* Hi
 sunt publicæ quietis hostes, a Jesu So-
 ciis, qui nil nisi charitatem & pacem
 prædicabant, oppido diversi: per illos
 præpeditur innumerabilium conversio
 hæreticorum, qui in nullo fidei capite
 præter absolutam illam Papæ auctori-
 tatem a nobis discreparent. Hoc dog-
 mate Hungaria, Polonia & Suecia
 fuerant perturbatæ, hæc doctrina
 multas in populo querelas, multas li-
 tes, æmulationes, dissidia, contentio-
 nes, variaque Schismata induxit: in-
 super Sorbonam, quia contrarium do-
 cuit, Bellarminus tanquam errore ac
 hæresi

hæresi infectam depinxit, ceteri vero Sæc. XVII.
A. C. 1611.
Jesuitæ cunctos Ordines Ecclesiasticos
ac Religiones contumeliis onerarunt.

Postea eisdem exprobat dogma de exemptione Cleri ab auctoritate profana, quam a Bellarmino aliisque Jesuitis immodice extensam fuisse asserit: recenset etiam mala apud Anglos & Venetos concitata, atque artes, quibus cujusdam Matronæ palatium prope Brentam urbem sibi vendicabant, & Patrem Menam incæstum Hispaniæ Inquisitioni subtrahebant: *hinc eorum Societatem in negotio fidei periculosam esse, merito in Sorbonæ decreto fuisse nominatam asserit, hancque in rem quosdam errores, eorumque doctrinam de æquivocatione in medium profert: denique concludit, postulans, ut ad pristinum instituti sui statum reducantur. Magistratibus subjiciantur, eorum ausus contra Episcopos & Parochos supprimantur, eis juventutis institutio inhibeatur, Gallicanæ Ecclesiæ doctrinam profiteri, & novam eorum Theologiam ad privatum commodum, & propriæ auctoritatis incrementum accommodam deserere compellantur.*

§. XXI.

Societatis Patres in Academiam Parisiensem cooptati.

Hist. Eccles. Tom. LV.

D

Hæc

Sæc. XVII.
A. C. 1611.

Juven. l. c.
pag. 87.
Serran. hist.
Franc.
pag. 904.

Hæc Martellerii oratio Parisiis omnium applausu excepta est, in remotioribus vero Curiis Ambianensi, Aquitanna & Rothomagensi Bibliopolæ, qui eam in vulgus spargebant, pœnis afficiebantur. Die autem decima septima Decembris Servinus quoque Regius Advocatus graviter, & nervose sententiam suam dixit, atque Universitatis causam esse veram, justam & æquam ostendit. Suffragabatur eidem Petrus Hardevillierius, qui prolixam orationem in eandem sententiam habebat, Jesuitas hortatus, ut cum Universitatis Doctoribus pacem haberent, memores, quod Henricus IV. reclamantibus cunctis fidelissimis subditis, eos in Franciam revocarit, ea spe, quod hac gratia contenti ad tam immodica postulata nunquam descensuri essent, proinconsiderarent, an ipsis decorum sit, post tanti Regis obitum petere, quæ tamen eo vivente nunquam postulare ausi fuissent, minus vero se obtenturos unquam sperare potuissent: nihilominus tamen eis Regis nomine significabat, quod si forte suis postulatis insistere velent, tunc sese antiquis Universitatis & Facultatis Theologiæ decretis ac doctrinæ præcipue his quatuor capitibus subscribere tenerentur. I. Quod Papa in temporalibus potestatem in Reges nullam obti-

obteneat, nec eos fulmine excommunicatio- Sæc. XVII.
 nis ferire, aut regnis privare possit. II. A. C. 1611.
 Quod Concilium sit supra Papam. III.
 Quod homines Ecclesiastici ordinis subjecti
 sint atque esse debeant Magistratui seculari
 & Politico. IV. Illos, qui adversus re-
 gni salutem publicam, itemque contra vi-
 tam & honorem Regum, ac Principum
 consilia agitant, revelare, jus fasque, e-
 tiam Sacerdoti sit.

His ita propositis P. Christophorus
 Balthasar Provincialis reposuit, quod
 Jesuitæ legem haberent, juxta quam
 secundum consuetudines illius loci, ubi
 tantisper degerent, & quamdiu ibi mo-
 rarentur, vivere ac docere teneantur,
 de cetero autem, an ipse suo vel So-
 cietatis nomine sit subscripturus, aut
 eorum Generalis hanc subscriptionem
 ratam habiturus sit, polliceri haud
 posset, quamvis, ut ejus consensum
 impetraret, omnem operam impensu-
 rus esset. Cum vero Servinus a P.
 Frontono certum desuper responsum
 mox dari peteret, & quamplurimi pie-
 tate, doctrina, fidelitate ac Ecclesiæ
 studio Viri longe celeberrimi Jesuitis
 suaderent, ut haud cunctanter, inge-
 nue, absque æquivocatione aut suffu-
 gio quatuor hisce articulis sese submit-
 terent, hinc eorum precibus commo-
 tus P. Frontonus nequidem expectato

Sæc. XVII. A. C. 1611. Generalis oraculo reposuit, ego quidem haud difficulter subscribo; in rebus enim Politicis tempore ac loco, ubi vivitur, inserviendum censeo; attamen etsi nos Parisienses eadem, quæ a nobis exiguntur, approbaremus, nihil tamen certi ante Generalis nostri responsum desuper statuere possumus. Hæc dicta Rectori, cæterisque Doctoribus æquivoca videbantur, ea potissimum ratione, quod hujus promissionis eventus ab exteri Generalis arbitrio semper omnique tempore penderet, aliunde vero Jesuitæ cunctis Ordinibus leges præscribere, nullas vero accipere assueti essent, ac ubicunque admissi fuissent, tam Clericis, quam laicis imperare molirentur, unicamque omniumque actionum suarum Regulam respicerent Societatis augmentum, & aliorum depressionem: Ita Regius Advocatus, qui postea sub uno quasi conspectu posuit, quicquid a Martellerio, aliisque in Societatis doctrinam, mores, ac leges invidiosum & acerbum antea jactabatur: demum vero conclusit, quod Universitatis oppositio omnino æqua sit, proin illius nomine a Regio Senatu petat, ut hisce Patribus publice docendi, aut aliud Scholæ munus Parisiis peragendi facultas demeretur.

§. XXII.

Sæc. XVII.
A. C. 1611.*Regiæ Curiaë Sententia contra Je-
suitas pronuntiata.*

Tandem die vigesima secunda Decem-
bris sententia a sanctiori Regis Se-
natus pronuntiata, lisque hunc in mo-
dum decisa est. „Societatis Patres sub-
„missionem, quam verbis polliciti sunt,
„suo chirographo ratam habeant, spon-
„dentes, quod doctrinam quatuor ar-
„ticularum sint ore & calamo defensuri,
„quo facto eis severe sit interdictum,
„ne quid interea moliantur, quo Regii
„decreti vigor de eorum reditu in Fran-
„ciam enervetur, nec etiam instituendæ
„juventutis partes sibi arrogent, aut in
„Collegiis suis lectiones publicas, di-
„sputationes, ceterasque Scholasticas
„functiones exercent, si secus fecerint,
„re ipsa libertatibus, immunitatibusque,
„imo ipsa etiam Revocationis gratia ex-
„cidisse declarentur. „ Lata hac sen-
tentia omnes Academiae Doctores de
obtenta victoria supra modum tripudia-
bant, Jesuitæ vero suos discipulos di-
miserunt, paucis post diebus absque
mentis angore declarantes, quod ea-
dem, quæ Sorbona, ipsi quoque do-
cere velint, præcipue circa Regiæ vitæ
incolumitatem, & auctoritatem, nec

Serran.
Franc. hist.
invent.
pag. 904.
Abrege
chronol.
Siecl. XVII.
pag. 410.

Sæc. XVII. non Ecclesiæ Gallicanæ libertatem.
 A. C. 1641. Hanc vero declarationem præter P. Pro-
 vincialem quinque alii Jesuitæ suo chi-
 rographo firmarunt.

§. XXIII.

*Sigismundi Poloniae Regis victoria
 de Moscovitis reportata.*

*Mert. Gallo-
 belg. Annal.
 tom. 6. l. 4.
 tom. 7. l. 1.
 pag. 75.
 Sleid. contin.
 l. 16. p. 1212.*

Intestina Moscovitici imperii diffidia
 Sigismundum Poloniae Regem inci-
 tabant, ut a Majoribus suis amissa re-
 cuperandi, & universam Moscoviam
 Polonicam armis suis subjiciendi propo-
 situm conciperet: Collectis igitur va-
 lidis copiis primo Smolencum muni-
 tissimum Russiæ propugnaculum die duo-
 decima Junii cinxit, obsidionis cura
 Vilniscio demandata: Hic vero iterata
 tormentorum explosione latas murorum
 ruinas fecerat, ac Germanorum ope
 proximum moenibus propugnaculum
 occupaverat, inde vero in concavum
 quemdam locum magnam pulveris vim
 clam inferri jusserat, quo incenso tam
 ampla muri pars corruit, ut Polonis fa-
 cilem irruptionem præferret: decreto
 igitur, ac prospere expedito assaltu Vil-
 niscius urbem cepit, Moscosque a Boryst-
 henis ripis tam valide rejecit, ut eo-
 rum ad urbem & intra vallum ducenta
 millia vario cladis genere absumeren-
 tur:

tur: demum continuato victoriæ cursu Sæc. XVII.
idem Bellidux e castellis, omni circum- A. C. 1611.
quaque Russia, præsidia expulit, hosti-
lemque militem ad incitas redegit. Au-
gebantur etiam Poloni sat opportuno
tempore decem millium equestris po-
tissimum roboris subsidio, quo sese in-
dies magis formidabilem Scythis illis
efficiebant. Percepta hac insigni victo-
ria Rex, qui tum Varsoviæ in Proce-
rum comitiis erat, non tam de agra-
tulantium gloria, quam de oblata cle-
mentix captis exhibendæ occasione læ-
tabatur; cum enim inter nobilissimos
captivos Schelkezyus supremus Polo-
nicæ militiæ Ductor ad publicum Pro-
cerum regniq[ue] confessum Suiskium
magnum Moscoviæ Ducem, ejusque
duos fratres in acie captos, velut lu-
ctuosam victoriæ victimam produceret,
atque hi in genua provoluti, & pristi-
næ fortunæ memores repentinum sum-
mo de culmine in maximam calamita-
tem lapsum deplorarent, gratiam Vi-
ctoris implorantes, Rex miserando hoc
invidæ sortis spectaculo motus, cum
nihil magis regium fore, quam affli-
ctos post ruinam erigere censeret, cle-
menter illos affatus, bono animo esse
jussit, pollicitus, quicquid pro præsentis
casus humani conditione, gratiæ, quic-
quid ab ullo Victore sperare benevo-

Sæc. XVII. lentiæ possent, id a se tanquam Patre, A. C. 1611. fide Regia, expectarent. Hac vero munificentia Rex tantam apud suos sibi laudem comparabat, ut Senatores omnia fere ejus postulata rata haberent, ingentemque pecuniarum summam pro iterata in Moscoviam expeditione sponderent.

Mercur. l. c. Non minus celebrem immoto Religionis tuendæ studio sese reddebat Sigismundus Rex, dum in iisdem Comitibus Joannem Sigismundum Electorem Brandenburgicum die decima quinta Novembris exceperat. Hic, postquam die vigesima quarta Junii Pragæ feudum Electorale a Cæsare impetraverat, post Alberti Boruffiæ Ducis obitum, hunc Ducatum sibi, suisque fratribus, ac inde descendentibus in feudum a Rege concedi petebat: Annuit quoque Ducis precibus mitissimus Rex, nequicquam se opponentibus non paucis Regni Polonici Proceribus. Inter ceteras vero, quibus hunc Ducatum concessit, conditiones sigillatim has juramento firmatas præscripserat. I. Religio catholica, Apostolica, Romana omnibus in Ducatu eam profiteri volentibus libera esse debebit. II. Ad munera & honores, si qui ex Catholicis idonei fuerint, aditus eis erit, ii tamen nonnisi idoneis & indigenis dabuntur. III. Qui-

III. Quicumque Catholici jus Patronatus habuerint, Religionis Catholicae exercitium iis in locis introducere integrum illis erit. IV. In usum Ecclesiae Catholicae Romanae unum templum in suburbio, loco decenti Brandeburgicus Elector exstruet. V. In dotem Ecclesiae Catholicae, Apostolicae Romanae & in alimenta Parochi mille floreni assignabuntur, domus itidem pro eo & habitantibus necessariae exstruentur. VI. Jus praesentandi Parochum ad Electorem pertinebit, isque praesentari debet a Reverendissimo Episcopo Varmientiensi, si intra semestre tempus ab ipso Electore non praesentabitur. VII. Securitatem eidem Parocho omnes Magistratus praestare tenebuntur. VIII. De altero templo sua Regia Majestas facultatem sibi agendi per Commissarios cum Provincialibus reservabit. IX. Calendarium novum in Ducatum introducetur.

§. XXIV.

Salisburgensis ditio a Bavariae Duce occupata.

Exorta erat superioribus annis inter Maximilianum Bavariae Ducem & Wolfgangum Theodoricum Archiepiscopum Salisburgensem haud levis con-

*Adlzreiter
Ann. Boic.
tom. 3. p. 3.
lib. 2.*

Sæc. XVII.
A. C. 1611.

*Annus Po-
lit. Ignat.
Wilhelm.
pag. 440.*

troverſia ob ſalis commercium, cum enim hic Antifites pactam olim ſalis copiam pro pretio a Majoribus conſtituto ex Hallingenſibus Salinis, quæ ſunt ditionis Salisburgenſis, in Bavariam ſecundo flumine invehi prohiberet, Maximilianus antiquum ſuum jus adverſus novam hanc molitionem reſoſcebat. Querelas Ducis augebat ab eodem Præſule impedita lignatio ad Salinas Boicas Halædivitis neceſſaria, unde operarum infrequentia & ſalis penuria tam pretium quam ſubditorum indignationes augebat. Maluit tamen Dux illata damna potius jure ac conſilio, quam bello vindicare: nova autem injuria ab eodem Theodorico irrogata amicæ compoſitionis conatum fruſtraverat; hic enim Ferdinandum Maximiliani Ducis Fratrem Berchtesgadenſis Præpoſituræ poſſeſſione armata manu dejecit, oppidumque occupavit, civibus victori arma cedere juſſis. Ex primis hiſce fortunæ auſpiciis Archiepiſcopus ulteriorem in cetera Bavariæ oppida progreſſum tentaturus credebatur, idque eo magis, quod ei Proteſtantium, qui Bavariæ Ducem bello fatigatum ad tutandum Catholicum ſœdus impotentem reddi ſperabant, auxilia fuiſſe promiſſa rumor eſſet. Eapropter Maximilianus, ne cunctatio noxia foret, re prius ad ſum-

summum Pontificem, & Rudolphum Sæc. XVII.
 Cæsarem delata, exercitum suum in A. C. 1611.
 Præsulis ditionem præmittit, positisque
 que ad Titmaringam urbem castris, di-
 spositisque belli tormentis Lauffam pri-
 mo occupat, mox Titmaringam obses-
 surus. Verum vix admotis castris, in-
 tra unicæ diei spatium & urbis & arcis
 obsidio pariter & deditio, nonnisi pau-
 corum horarum spatio discreta, seque-
 batur: Accepto hujus expeditionis
 nuntio Archiepiscopus, quicquid tum
 in ærario, tum in Templis fuit auri,
 gemmarum, suppellectilis, & gazæ
 pretiosum convasat, ac per montes ab-
 duci jubet: ipse vero, quod in melio-
 ris fortunæ desperatione proximum esse
 solet, rebus suis turbatis in celeri fuga
 præsidium quærere tentat, nocteque
 intempesta paucis eum comitantibus
 Carinthiam versus iter arripit: quo
 comperto Canonici die vigesima sexta
 Octobris per Legatum Maximiliano cla-
 ves civitatis offerebant, qui cum sex-
 centis Equitibus ingressus, urbem &
 arcem in suam quidem redegit potesta-
 tem, nihilominus urbe & arce oc-
 cupata, non tanquam hostis, sed
 patriæ libertatis vindex cunctos ab omni
 injuria immunes esse jussit, quo fa-
 cto Canonici mox expeditam emi-
 sere Equitum alam, quæ fugientis Ar-
 chiepi-

Sæc. XVII. chiepiscope vestigia premens, aut ipsum
A. C. 1611. aut prædam retraheret: Jam tridui iter
 confecerat Archiepiscopus, cum Has-
 langus militum Præfectus eundem nil
 tale metuentem infecutus, cum sarcini-
 nis suis captivum teneret, ac Werffam
 reduceret: illum tamen in honesta cu-
 stodia detentum Dux Capitulo Metro-
 politano reddidit, hocque pacto civi-
 bus oppressis pacem, & solatium, Sa-
 lisburgensi Ecclesiæ cum novo Succes-
 fore tranquillitatem, Berchtesgadiensi
 Diæcesi suum Præpositum, suamque
 libertatem una pene die restituit, pau-
 cisque post diebus, rebus ad vota com-
 positis, dimissoque a signis milite domum
 reversus est: mox etiam Paulum V.
 Pontificem maximum & Rudolphum
 Cæsarem per Legatos de necessariæ
 defensionis successu certiores reddebat,
 qui, causa probe expensa, expeditio-
 nem ratam habebant: Ægre quidem
 ferebat Cæsar, quod in Austriacis fini-
 bus Archiepiscopo manus fuissent in-
 jectæ: rem tamen, prout erat, edoctus
 ignorantia militum veniam, nullam
 Maximiliano culpam dabat. Tandem
 Capitulum Cathedrale a summo Pon-
 tifice, ad quem hac de re Salisburgen-
 ses Canonicum ablegabant, ineunte
 Mense Decembri impetrabat, ut abdi-
 catio ultronea, quam Theodoricus in
 mani-

manibus Nuntii Apostolici fecerat, rata haberetur, ea tamen lege, ut Præsul in arce Salisburgensi pro Ordinis gradu, in custodia bene decenterque haberetur, & Rudolphus ejus frater in bonorum suorum possessione quietus permaneret. Successerat Theodorico Marcus Sitticus Comes de Hohen-Embs.

Sæc. XVII.
A. C. 1611.

§. XXV.

Bellum inter Sueciæ & Daniæ Reges.

Septentriones inter Reges Christianum IV. Danum, & Carolum IX. Suecum temporis haud exigui dissidium jam olim Stetinensi transactione sopitum hoc tandem anno mutuas in clades gravius exarsit. Causa dissidii potissima erat Regni Nortwegici titulus a Sueco usurpatus, maris Curlandici, Rigensis & Baltici infestatio, Danicæque naves sæpius cursu prohibitæ ac detentæ, nec unquam redditæ, Lapporum quoque, qui maritima Nortwegiæ incolunt, querelæ, ac denique illata a Gothicis Tributorum exactoribus vexatio. His irritatus Rex Daniæ Sueco bellum denuntiat, misso Nicolao Wahlio sæciali, quem tamen Carolus, in contemptum denuntiationis factæ captivum detineri jussit: inde autem ira intensior Christianus, die secunda Maji

Merc. Gal-
lobelg. an-
nal. tom. 7.
l. 1. & l. 34.
Appamian.
ad ann. 1611.
num. 4.

con-

Sæc. XVII. A. C. 1611. contracto exercitu ad Calamariam Au-
 stralis Gothiæ oppidum movit, illudque
 multorum dierum operoso Marte ce-
 pit, vicissim vero Carolus Christiano-
 poli doloso stratagemate potitus, ur-
 bem flammis absumpsit, & Calama-
 riam recuperavit, possessione tamen fer-
 me momentanea; quippe Dani gemina
 hac jactura magis irritati, confestim Go-
 thorum aggrediuntur classem, & captam
 diripiunt, eodemque fortunæ flantis
 impetu Calamariam urbem, arcem, &
 portum recuperant: nec hic steterat vi-
 ctoriæ cursus; victor enim miles Gold-
 burgum, Oelandiam, Bornholmiam-
 que haud spernendas Baltici maris in-
 fulas Danorum armis & imperio sub-
 jicit, spectantibus hæc omnia cominus,
 eminusque tunc Suecis, atque ob vi-
 ctoriæ diffidentiam nec hosti resistere,
 nec oppressis suppetias ferre ausis. Ex-
 eunte Mense Augusto Carolus denuo
 certaminis fortunam tentabat, adver-
 sam tamen iterum expertus: unde
 novissimi prælii funesto successu in
 in rabiem actus, privati hominis more,
 missis literis Daniæ Regem ad singulare
 certamen provocat, quam tamen pro-
 vocationem Christianus epistola sat a-
 marulenta eluserat, eidem hæc perscri-
 bens: „Monomachia, quam offers, sat
 „ridicula nobis videtur; scimus enim,
 te hoc

*Chuverius
 hist. rer.
 epit. p. 767.*

„te hoc ipso tempore a Deo adeo per- Sæc. XVII.
 „cussum, ut ictus nostros præterea re- A. C. 1611.
 „quirere haud deberes, sed calefactæ
 „potius fornaculæ custos assidere, &
 „frigus tuis in terris jamjam sæviens
 „fugere tibi satius foret, imo præsta-
 „biliores tibi esset Galenus aliquis, qui
 „caput tibi, cerebrumque restitueret in
 „integrum. Non erubescis, delire se-
 „nex, iis, quibus in nos usus es, di-
 „steriis incessere caput in dignitate
 „collocatum, hunc vero maledicendi
 „modum non ab aliis, quam a rixosis
 „aniculis ac scortis hausisti., Hæc
 tam atrocia Carolus digerere adeo non
 valuit, ut ad morbum articulare, se-
 nectutem curasque bellicas, etiam acce-
 dente convitiorum sensu ac mærore, de-
 cesserit die trigesima Octobris.

§. XXVI.

*Hugonottarum Comitia Salmuriæ
celebrata.*

Ineunte autumnno Calvinistæ comitia Gramond.
 sectæ suæ generalia per missos in Au- Hist. Gall.
 lam Oratores importunius petebant, lib. I.
 cumque eorum vires, quas non raro
 minitabantur, turbatis Galliæ rebus,
 ac Rege adhuc in pupillari ætate con-
 stituto timerentur, cedendum erat eo-
 rum audaciori petito, ea tamen lege,
 ut

Sæc. XVII. ut coram Legato Regio hæc comitia
 A. C. 1611. non in Castello Heraldii, sed Salmuriæ
 in Andegavenfi Provincia haberentur.
 Ad ea selecti, pars e nobilium Ordine,
 pars e plebæio trecenti, Legati vero
 seu Præsides Bullionius, Sullius &
 Rhoanus, quibus omnibus pro Calvini
 secta studium, aut pro rebus cuique
 suis affectus erat. Nomine autem Re-
 gis aderat Bullionæus Libellorum sup-
 plicum Magister Calvinistis haud ingra-
 tus. Præprimis proponebatur, peten-
 dam esse Nannetensis edicti confirma-
 tionem, urbes novas in sectæ præsi-
 dium, donec Rex adoleverit, retinen-
 das, stipendia pro eorum Ministris au-
 ctiora, nova item Collegia, in quibus
 juventus Calvini doctrina solidius im-
 bueretur. Hæc exponebant, ut ait
 Gramondus, *verbis ambitiose tumidis,*
obsequio & fide vacuis; cum enim Sul-
 lius, præcipuum Hugonotarum caput,
 jussu Reginæ, ærarii simul & Bastillæ
 arcis præfecturam abdicaret, hinc Cal-
 vinistæ hunc Virum Reginæ odio de-
 jectum pristinæ dignitati restituendum
 petebant, id vero si negaretur, *perti-*
naciter postulandum esse decreverunt,
 ut præter honorificum munus arx quæ-
 dam, unde ei præsidium sit, & aug-
 mentum sectæ, eidem traderetur, in om-
 nem tamen eventum, extorquendam
 esse

esse pro eo supremam rei tormentariæ Sæc. XVII.
Præfecturam. His igitur si immote in- A. C. 1611.
stiterit Sullius, fore sperabant, ut re-
bus ejus privatis Calvinistarum vota &
arma uniantur. Cessit eorum senten-
tiæ Sullius, qui deprædicatis suis me-
ritis missionem honestam a Regina con-
cedi petebat: nihil tamen impetrare
poterat obluçantibus Sueffionensi & Con-
dæo Principibus eidem infensis: unde
hujus Viri casu & Præsidum discordia,
comitiis hisce, ac eorum factioni haud
parum decessit ab auctoritate, quam si-
bi per arctæ inter se unionis (*) famam
acquisierant; compertum enim erat, quod
variis inter se studiis divisi essent, quip-
pe in Bullionium insurgabant Rohanæus
& Sullius, ille in utrumque astu
prævalens & experientia: Testatur quo-
que Rohanæus in hoc conventu ven-
dita Regi fuisse a Bullionio Delegato-
rum suffragia: nihilominus obtinue-
runt Hugonottæ, ut urbes usurpatas
integro adhuc quinquennio retinere va-
lerent, eorumque Ministris ad vitæ
sustentationem quadraginta quinque li-
brarum millia adderentur.

§. XXVII.

(*) Vocabant enim sese jactanter ob fra-
ternam suorum concordiam *Fratres unitos*.

Hist. Eccles. Tom. LV.

E

Sæc. XVII.
A. C. 1611.

§. XXVII.

Congregatio Patrum Oratorii in Regno Galliae erecta, aliique Regulares Ordines propagati.

*Balduin.
Chron. moral. p. 1005.
& seqq.
Bullar. t. 3.
Const. 91.*

Eodem anno, quo inter Regii Sanguinis Principes ex administrationis æmulatione graves fervebant similitates, Parisina urbs tripudiabat ob firmata gemini matrimonii pacta inter Ludovicum Galliae Regem cum Anna Austriaca Hispaniae Regis Infante, & Philippum Hispaniae Regni hæredem cum Elisabetha Ludovici XIII. Sorore. Nec tamen publicus hic lætitiæ apparatus privatam Reginæ, aliorumque pietatem sistere poterat, quominus Dei gloriam, atque animarum salutem toto studio promovere satagerent: hos inter præcipuus erat Petrus Berullus presbyter Diæcesis Parisiensis, ac postea Cardinalis, qui hoc anno Sancti Philippi Nerii exemplo permotus, Joyosa Cardinale & Gondio Parisino Episcopo suadentibus, Congregationem Oratorii, Presbyterorum sæcularium in communi viventium in Regno Galliae instituere cæpit, ut ex eo Seminario semper eruditi ac probati animarum Pastores prodirent, infidelibus etiam Evangelium prædicaturi. Hi, quamvis nullo voto

voto obstricti sint, suos tamen habent Sæc. XVII.
 Superiores, quibuscum unum efficiunt A. C. 1611.
 Corpus, in quo nemo imperat, & om-
 nes obediunt. Institutum hoc pro bo-
 no Ecclesiæ a Paulo V. biennio post
 & a Franciæ Rege anno 1764. approba-
 tum progressu temporis toto Regno
 plura numerabat ejusmodi Oratoria,
 inter quæ præcipua sunt Rotomagense,
 Lugdunense, Tolosanum, Rupellen-
 se, Salmuriense & Montmorentianum.

Præterea in Belgio & Burgundiæ Abregé
Chronol.
al' an 1610.
 Comitatu faventibus Alberto & Isabel-
 la Belgarum Principibus plura non sine
 magno fructu Oratoria sunt instituta.
 Eorundem quoque Principum munifi-
 centia, ut ait Balduinus, Carmelitæ
 Discalceati Roma accersiti primum Pa-
 risiis, postea Bruxellis, & alibi domi-
 cilia Sacra collocarunt, præeunte Ve-
 nerabili P. Thoma a Jesu Carmelita Hi-
 spano vitæ integritate ac doctrina cla-
 rissimo, qui eo nomine Paulo V. Ma-
 riæ Medicæ Francorum Reginæ, &
 Belgarum Principibus longe gratissimus
 exstitit. Subsequentibus annis ex Fran-
 cia in Lotharingiam, & ex Belgio in Oeuvres du
S. Franc. de
Sales.
 Poloniam & Germaniam aliaque Regna
 evocati tam Missionum Apostolicarum
 domos, quam Eremitoria, aliaque utrius-
 que sexus domicilia ferme quingenta
 numerabant.

E 2

Non

Sæc. XVII. Non minori Ecclesiæ compendio S.
A.C. 1611. Franciscus Salesius Genevensis Episcopus novum Institutum Virginum de Visitatione B. V. hoc anno complevit. Illius vero occasio hæc erat: Cum Francisca Fremiot Domini de Chantal uxor ac Bituricensis Archiepiscopi Soror anno incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quarto Salesium Divioduni Concionantem audiret, interius illustrata percepit, hunc esse Virum, quem Deus selegisset, ut illam ad perfectionis semitam conduceret: Id etiam Sancto Episcopo manifestans die vigesima quinta Augusti eidem totius vitæ antea actæ maculas exposuit, ac brevi sub tanti Directoris cura tantopere in virtutum studio profecit, ut anno Domini millesimo sexcentesimo septimo eidem Sanctus Præsul detegere non dubitaret, quod ad Divinæ gloriæ augmentum Congregationem novam ex piis Virginibus & Viduis sub Beatæ Virginis Elisabetham Visitantis invocatione, & D. Augustini Regula instituete, eamque primam hujus instituti Moderatricem nominare intendisset, eo fine, ut hæc Moniales sese totas inserviendis & visitandis pauperibus impenderent. Jam anno supra millesimum sexcentesimo decimo Francisca Fremiot cum duabus nobilissimis Matronis Fabra & Brecharta
 hoc

hoc institutum solemnī sponſione profi-
tebantur, quarum exemplum tot aliæ
mox ſecutæ, ut vivente adhuc Sancto
Salesio tredecim ejusmodi Asceteria
ſuerint erecta. Præſcripſerat eis ipſe
met Sanctus hic Antistes Conſtitutio-
nes divinis præceptis, moderatione ac
ſuavitate plenas, juſſitque, ut ſolo Ty-
rocini anno clauſuræ, ac poſtea ſim-
plici voto adſtrictæ eſſent, poſtea ta-
men mutato conſilio illas ad perpetuæ
clauſuræ leges, & perfectum Religio-
nis ſtatum revocabat. Demum anno
a partu Virginis milleſimo ſexcenteſi-
mo decimo octavo hoc institutum Apo-
ſtolico diplomate confirmatum eſt. Eo-
dem quoque anno apud Colonienses So-
dalitas Sanctæ Crucis, & apud Sab-
audos Collegium tit. ſeptem Dolorum
B. V. confirmatum eſt.

Sæc. XVII.
A. C. 1611.

§. XXVIII.

*Mariani Perbenedicti Cardinalis
obitus.*

Hoc anno Sacrum Purpuratorum Col-
legium quinque Cardinalium jactu-
ram deplorabat; hos inter primus erat
Marianus Perbenedictus ex illuſtri apud
Camertes in Piceno proſapia anno Sa-
lutis noſtræ milleſimo quingenteſimo
quadrageſimo ortus, qui in patria ſua

Ciacon. in
vita Sixti V.

E 3 huma-

Sæc. XVII. humanioribus literis non minus ac pietate imbutus, anno ætatis suæ decimo sexto Romam venit, ubi emenso studiorum curriculo mundi delitiis, quibus aliquamdiu indulserat, valere iussis, totum se Dei obsequio impendere cæpit, ac Sacræ militiæ adscriptus, necnon Philosophiæ & Theologiæ laurea decoratus, a Gregorio XIII. Maturani Episcopus non sine magno Diæcesis suæ incremento renuntiatus est; omnes enim ferme proventus suos in reparandis, exornandisque Templis impendit, postea a Sixto V. Romam revocatus, urbis Præfectura decoratus est. Demum variis Ecclesiæ officiis, quibus præerat, defunctus, Presbyter Cardinalis nominabatur, a Pontificibus Sixti V. Successoribus maximi habitus. Tandem vero meritis clarus, die vigesima Januarii anno ætatis suæ septuagesimo tertio Romæ decessit, sepultus in Ecclesia ad S. Mariam Majorem.

§. XXIX.

Dominici Pinelli Cardinalis extrema.

*Valer. in
lib de Sub.
Marac. in
Purpura
Rom.*

Ejusdem fati necessitati cedere coactus est Dominicus Pinellus patria Genuensis, qui Patavii Jurisprudentiam professus, in patria sua in Jurisconsultorum Collegium cooptatus est, inde vero

vero Romam profectus, etsi nonnisi vigesimum secundum ætatis annum expleisset, a Pio IV. utriusque *Signaturæ*, ut vocant, *Referendarius* eligitur, quo in munere tam præclara integritatis, ingenique sui specimina ediderat, ut a Pio V. & Gregorio XIII. pro legationibus, componendis dissidiis, aliisque gravissimis negotiis adhibitus, primo Vicegerens, postea Firmanus Antistes, & Cameræ Apostolicæ Clericus crearetur, ubi nemo in Pastore vigilantiam, in Judice integritatem, aut majorem in Clerico probitatem desiderare potuisset. Demum a Sixto V. Nuntius Apostolicus in Hispaniam decretus, anno Christi millesimo quingentesimo octogesimo quinto in Senatum Cardinalium adlectus est, eodem anno Carmelitanæ Religioni præfectus. Non multo post Flaminiam Provinciam, Legatus a latere factus, intra bimestre ad pristinam reduxit tranquillitatem, exturbatis omnibus sicariis, sceleratisque hominibus. Tandem vero Romam reversus anno ætatis suæ septuagesimo die nona Augusti cælo maturus ibidem mortalitatem exiit. Ejus Cadaver solemniter pompa ad Liberianam Basilicam delatum humili sepulcro, uti jusserat, reconditum quiescit.

Sæc. XVII.
A. C. 1611.

Sæc. XVII.
A. C. 1611.

§. XXX.

*Sylvestri Aldobrandini Cardinalis
mors.*

*Ciacon. in
vita Clem.
VIII.*

Tertius ex Purpuratis, qui hoc anno decesserunt, erat Sylvester Aldobrandinus, patria Florentinus, ac Clementis VIII. Pronepos, qui nondum decimum sextum ætatis annum exceperat, dum non alio meritorum suffragio, quam importunis Petri Aldobrandini Patru sui precibus a Clemente VIII. Cardinalis Diaconus renuntiabatur: floruit plurium linguarum peritia, qua sola se notum fecerat: obiit autem Romæ die quarta Januarii annos natus viginti quinque, sepultus in Ecclesia B. Mariæ super Minervam.

§. XXXI.

Octavii Parravicini Cardinalis fatum.

*Andr. Vi-
torell. in ad-
dit. ad Ciac.
Barnab. in
vita Borrom.*

Hunc paulopost sequebatur Octavius Parravicinus Romanus, qui a primis armis S. Philippo Nerio inserviens, ejus consuetudine, piisque sermonibus usque ad vigesimum quintum ætatis annum frui consuevit, quo tempore in Hispaniam profectus, ac omni scientiarum genere excultus, demum Romam reversus est, ubi sub Cæsaris Baronii disci-

disciplina proficiens, & doctissimi Pauli Sæc. XVII.
 Sfondrati familiaritate usus, a Grego- A. C. 1611.
 rio XIII. Alexandrinam Ecclesiam, a
 Sixto V. Legationem ad Helvetios, ac
 denique a Gregorio XIV. in secunda
 Cardinalium creatione Purpuram Ro-
 manam obtinuit, dubiumque reliquit,
 an ipse majus ornamentum ab ea acce-
 perit, quam eidem reddiderit: in om-
 nibus enim tam publicis, quam priva-
 tis, quibus præficiebatur, negotiis sem-
 per summam vitæ integritatem, mo-
 rum ingenuitatem, ingenii acumen, la-
 borum tolerantiam, fidei ac pietatis
 constantiam, cum perpetuo tuendæ
 Apostolicæ Sedis & Ecclesiasticæ liber-
 tatis studio conjunxit, atque ab Inno-
 centio, Clemente VIII. & Paulo V. in
 varias congregationes relatus, prius sua
 Ecclesiæ obsequia utiliter præstare non
 desistit, donec die tertia Februarii Ro-
 mæ vivere desit, sepultus in Divi Ale-
 xii, cujus titulum gerebat, Ecclesia.
 Vixit annos quinquagintâ novem.

§. XXXII.

*Hieronymus Bernerius Cardinalis
 mortuus.*

Postremus denique inter Cardinales *Ughell. in*
 hoc anno defunctos erat Hierony- *Ital. Sacra.*
 mus Bernerius Corrigii in Gallia Cifal-
 pina

Sæc. XVII. pina natus, nobilis genere, sed virtute
A. C. 1611. animique puritate longe illustrior. Hic
 literas humaniores edoctus, & FF.
 Prædicatorum Ordinem ingressus, Phi-
 losophiam, ac Theologiam variis in lo-
 cis Magister tanto applausu tradidit,
 ut ad varia Ordinis sui munia vocatus,
 in Genuensi ditone hæreticæ pravita-
 tis Inquisitor, ac tandem a Sixto V.
 Asculanus Antistes declararetur, de-
 mum ab eodem Pontifice Anno post
 Christum natum millesimo quingente-
 simo octogesimo sexto in Cardinalium
 numerum accensus, totum se Eccle-
 siæ utilitati, & obsequio impendit. Vir
 integerrimus & eruditissimus, doctrina
 celebris, vitæ exemplo, & Ecclesia-
 sticæ disciplinæ studio admirabilis in
 Asculana Ecclesia sua Episcopale Sacel-
 lum, Seminarium, S. Petri Martyris
 Templum, S. Hyacinthi Sacellum, alias-
 que Ecclesias, & ædificia suo ære aut
 restauravit, aut erexit, aut larga mu-
 nificentia dotavit. Denique sanctissime,
 ut vixit, die octava Augusti ætatis suæ
 anno septuagesimo primo ex hac luce
 migravit, conditus in æde S. Sabinæ,
 cujus monasterium a Pio V. incæptum
 maximo sumptu perfecerat.

§. XXXIII.

§. XXXIII.

Sæc. XVII.
A. C. 1621.*Undecim Cardinales a Paulo V.
creati.*

Horum Purpuratorum jacturam Paulus V. Pontifex in quinta sua nominatione abunde compensabat, dum die decima septima Augusti in monte Quirinali undecim Presbyterorum Cardinalium Collegio adscripserat. Horum primus erat Decius Carafa patritius Neapolitanus Presbyter Cardinalis tit. S. Laurentii in Pane & Pera, postea ad illum SS. Joannis & Pauli translatus. II. Dominicus Rivarola patria Genuensis ex Nazareno Episcopo ad Purpuram evectus, & titulo S. Martini in Montibus adscriptus. III. Meletius Bichius Patricius Senensis, Presbyter Cardinalis tit. Sancti Alexii. IV. Joannes Baptista de Bonfi Florentinus ad Regis & Regina Galliarum preces Cardinalis tit. Sancti Clementis nominatus. V. Philippus Philonardus ex Aquinatenfi Episcopo Cardinalis sine titulo. VI. Petrus Paulus Crescentius, nobilis Romanus Cardinalis titulo SS. Nerei & Achillei. VII. Jacobus Serra patritius Genuensis primo Cardinalis Diaconus S. Georgii ad Velum aureum, postea Presbyter titulo S. Mariæ de Pace.

*Ciacon. in
vit. Paul. V.*

Sæc. XVII. Pace. VIII. Augustinus Galaminius
 A. C. 1611. Brixichellensis in Flaminia ex Domi-
 nicano Presbyter Cardinalis tit. S. Ma-
 riæ de Ara Cæli. IX. Horatius Lan-
 cellotus patria Romanus Presbyter Car-
 dinalis Sancti Salvatoris in Lauro. X.
 Caspar Borgia Hispanus Presbyter Car-
 dinalis primum titulo S. Susannæ, post-
 ea S. Crucis in Jerusalem. XI. Deni-
 que Felix Centinus natione Italus, pa-
 tria Asculanns Ordinis Minorum Con-
 ventualium Presbyter Cardinalis S. Hiero-
 nymi ac demum S. Anastasiæ.

§. XXXIV.

Constitutiones ac decreta Pontificia.

*Bullar.
 Magn. Con-
 stit. 71. &
 seq. Pauli V.*

Cum non semel de iustitia minus be-
 ne Romanis in Tribunalibus admi-
 nistrata, ac de immodicis exactionibus
 non leves audirentur querimonix, fum-
 mus Pontifex hanc rem per Magistra-
 tus, aliosque Viros doctrina & usu
 præstantes, vocatis etiam, quorum
 intererat, diu ac mature discuti iussit,
 ac demum omnia urbis Tribunalia cor-
 rexit, præscripsitque *Taxas*, ut vocant,
 Iustitiæ Ministris, aliisque persolven-
 das. Præterea die decima Julii omnes
 licentias Virginum monasteria ingre-
 diendi sæcularibus concessas revocabat:
 anno autem sequenti Eremitis Montis
 Senarii

Senarii Ordinis Fratrum Servorum fa- Sæc. XVII.
cultatem dedit, ut tres deputare va- A. C. 1611.
leant, qui Novitios recipiendi faculta-
tem extra Capitulum Generale habeant,
iis quoque indulfit, ut in Feriis quar-
tis Adventus & quadragesimæ in pane
& aqua haud amplius jejunare tenean-
tur.

§. XXXV.

Sacrarum Congregationum decreta.

Variæ etiam decisiones Sacrarum Con-
gregationum hoc anno promulga-
bantur, & quidem die decima quinta
Januarii Sacra Rituum Congregatio de-
cidit, quod Sacerdos, Diaconus & Sub-
diaconus, dum solemniter cantatur
Gloria & Credo, debeant in scamno se-
dere, etiamsi sint Beneficiati vel Capel-
lani, prout sedent Canonici: declara-
tum quoque die decima nona Martii,
quod inter Canonicos Presbyteros nul-
la detur præcedentia ratione Doctora-
tus, sed unice ratione Ordinis, & An-
tiquitatis. Sacra autem Congregatio
Episcoporum statuit, quod Pœniten-
tarius Canonicus non valeat esse simul
Generalis Episcopi Vicarius, ne suspi-
cionem ingerat, quod in administratio-
ne Justitiæ utatur scientia Confessionis,
nisi esset tantæ opinionis apud omnes,
ut

Sæc. XVII. ut excluderetur omnis ejusmodi suspi-
 A.C. 1611. cio. Die vero decima septima Septem-
 bris decisum, quod Commendatario
 vel ejus Procuratori liber deosculandus
 in Missa non deferatur.

§. XXXVI.

*Jacobi Middendorpii & Petri Pan-
tini obitus.*

Miræus
Script. Eccl.
Sæc. XVII.

Non pauci ex Scriptoribus Ecclesia-
 sticis hoc anno defuncti posteris
 sui memoriam desideriumque reliquere,
 hos inter primo loco recensemus Mid-
 dendorpium Oldesaliæ natum, qui &
 supremos Theologiæ ac Jurisprudentiæ
 gradus adeptus, Colonix Cathedralis
 Ecclesiæ Canonicus, atque ad S. An-
 dreæ Decanus nominabatur. Scripsit
*de S. Scripturæ per LXX. Interpretes col-
 latione, de vita cænobiali, quæstiones ju-
 ridicas, Theologicas & politicas Impe-
 ratorum, Regum & Principum, cum eo-
 rum responsis: historiam Aristæ: de officiis
 Scholasticis: Sylvam originum Anachoreti-
 carum & plura alia, cumque non modo
 pluribus Principibus a consiliis, sed &
 Coloniensis Academiæ Procancellarius
 esset, hac occasione octo etiam libros
 edidit de Academiis Universi Orbis, ea-
 rumque origine & progressu. Obiit Co-
 loniæ anno ætatis suæ septuagesimo
 tertio*

tertio die decima tertia Januarii. Ex-Sæc. XVII.
 eunte autem hoc anno die vigesima A. C. 1611.
 quinta Decembris decessit Bruxellis
 Petrus Pantinus Tileti in Flandria na-
 tus, qui in variis Franciæ, Hispaniæ
 & Belgii Gymnasiis ingenium suum
 omnigena eruditione, ac præprimis
 Græci idiomatis peritia excoluit, & Lo-
 vanii ac Toleti publice Græcas literas
 tradidit. Erat Philippo II. Regi a Sa-
 cris, & Alberto Austriæ Archiduci ad
 Belgas proficiscenti comes adjunctus,
 dein Bruxellensis Ecclesiæ Decanus re-
 nuntiabatur, annosque ferme sexdecim
 Collegium Canoniorum S. Gudilæ re-
 gebat. Edidit vero ligata oratione li-
 bellum de laudibus S. Leocadiæ, duos
 quoque Homiliarum libros SS. Metho-
 dii, Athanasii, Amphilochii, & Chry-
 sostomi hucusque ineditos publici juris
 Antverpiæ fecit, præter S. Theclæ vi-
 tam. Elucubrabat etiam libellum de
dignitatibus & Officiis Regni Gothorum;
 plura adhuc sat utilia incæperat opera,
 quæ tamen morte præventus, perficere
 haud poterat, defunctus anno ætatis
 suæ quinquagesimo sexto.

§. XXXVII.

*Victorinus Mansus & Gratianus hoc
 anno defuncti.*

Præter

Sæc. XVII. Præter hos etiam celebrem sese red-
 A. C. 1611. diderat Victorinus Mansus Averfæ
 Neapolitani Regni oppido natus, qui
 Ugheil. Ital. Cavæ Ordinis S. Benedicti Monachus,
 Sacra. ac postea Cassinatensis Congregationis
 Toppy Bibl. in cænobio ad S. Severinum Abbas, de-
 Nepol. mum vero Castellensis Episcopus ab hac
 sede ad Arianensem Ecclesiam transla-
 tus est, ubi etiam die tertia decima
 Septembris pie in Domino obiit, poste-
 risque reliquit *Harmoniam Theologicam
 Patrum & Scholasticorum, explicationem
 Ecclesiasticis Salomonis, tractatum de Ec-
 clesiasticis Magistratibus, de Sacramentis
 in genere, & de modo procedendi in causis
 Regularium.* Huic adjungimus Gratia-
 num patria Etruscum, qui Commendo-
 no, & Montalto Cardinalibus, ac de-
 mum Sixto V. a secretis, postea Senti-
 nensis Abbas, & Amerianus Episcopus
 nuntiabatur: cum vero Clemens VIII.
 illum tanquam Sedis Apostolicæ Lega-
 tum ad diversos Principes, & præci-
 pue Rempublicam Venetam decerne-
 ret, Gratianus edito libello summi Pon-
 tificis jura ad *Adriaticum Mare* propu-
 gnabat: Edidit præterea libros de Sy-
 nodo Ecclesiæ Amerianæ, de bello Cy-
 prio, de casibus adversis illustrium vi-
 rorum, ac denique vitam Commendoni
 Cardinalis. Tandem ad suum Episco-
 patum

patum reversus anno ætatis suæ septua- Sæc. XVII.
gesimo tertio ibidem decessit. A. C. 1611.

§. XXXVIII.

*Celebriores e Societate Scriptores hoc
anno mortui.*

Hoc item anno magni nominis Scri- *Alegambe*
ptores e Societate calamum una- *Bibl. Script.*
cum vita posuere: hos inter fama lon- *Dupin Bibl.*
ge celebratissimus erat Antonius Posse- *des Auth.*
vinus patria Mantuanus, qui omnem *Tom. XVII.*
scientiam sibi familiarem habuisse vi-
debatur, a Principibus tanti habitus, ut
ejus consortium certatim expeterent,
quibus omnibus utilem impendebat o-
peram, concionando, scribendo ac di-
sputando, præcipue contra hæreticos,
ex quibus Viretum Calvinistam publica
disputatione elinguem fecerat; bis e-
tiam in Sueciam ad Joannem II. Regem,
totidemque ad Joannem Basiliæ Magnum
Moscorum Ducem, ut hos Principes
ad Ecclesiæ Romanæ gremium revoca-
ret, a Gregorio XIII. ablegatus est, non
alio tamen Evangelici laboris sui fructu,
nisi quod Joannes Dux Viris Apostolicis
in Orientem, & ad ejus exemplum pa-
riter Demetrius itidem Moscoviæ Dux
Carmelitis Excalceatis ad Persicam
Missionem tendentibus liberum per Mo-
scoviam transitum permetteret. Decer-
Hist. Eccles. Tom. LV. F neba-

Sæc. XVII. A. C. 1611. nebatur etiam in Poloniam, eo fine, ut Stephanum Bathorium Regem ad pacis consilia inclinaret: quoniam vero a Rudolpho II. Imperatore de nimio partium studio insimularetur, ideo inde revocatus est; eidem etiam vitio jam dudum vertebatur, quod in Principum Aulis nimium intempestiva sedulitate sese omnibus publicis negotiis ingesserit, uti patet ex epistola Claudii Aquavivæ anno 1600. Romæ ad P. Ferdinandum Alberum Societatis Provinciam in Germania superiori Ingolstadtium data, in qua de querelis contra Societatem eo tempore motis differens, inter alia hæc habet: *deinde dicitur nostros immiscere se in negotia, & Aulas Principum, in qua quidem parte nos vigilamus, & semper vigilavimus, & certe affirmare possumus, non videre nos hac in re excessum; nam quod ad Patrem Possevinum attinet, de quo alias aliqui fuere sermones, is jam a multo tempore quiescit, & solis Societatis nostræ ministeriis occupatur, & hac ipsa quadragesima quotidianas Conciones in quadam civitate habuit. Ceterum Possevinus Ferrariæ die vigesima sexta Februarii annos natus septuaginta octo obiit. Scripsit Regnante Pio V. qui milites in Gallias adversus Hugonottas mittebat, librum, cui titulus, Miles Christianus, item tractatus de Sacrificio Missæ,*

Manuscript.
auth. Societ.
de variis reb.
 pag. 310.
 Vid. supra
 Lib. 186.
 S. 48.

*Missæ, de rebus ad honorem pertinentibus, Sæc. XVII.
de rebus Suecicis, Livonicis, Polonicis, &c. A. C. 1611.
de Moscovia, de Atheismis Hæreticorum,*
præter epistolas ad Stephanum Bathorium,
& Magnum Moscovicæ Ducem. Edidit quoque
Responsum ad Regem Septentrionalem,
qui in fide Catholica voluit instrui,
necnon notas Divini Verbi, & rejectionem
imposturarum Davidis Chitræi, Theologiam
Catechetica, judicium de Philippo la Nue &c.
judicium de confessione Augustana & plura alia,
ex quibus potissimum celebrantur ejus
Apparatus Sacer, & Bibliotheca selecta, quos tamen libros
Edmundus Richerius in sua Hist. Concil. Gen. p. 41.
acri nimium censura perstringit. Præterea Cæsaream
Vienneensem Bibliothecam perlustrans Catalogum
manuscriptorum Græcorum edidit, correxit,
ac errata nimis crassa observavit; ibi enim liber
habebatur ita inscriptus *Georgii Nicetæ Epistolæ de
creatione hominis,* cujus tamen verus titulus est:
Gregorii Nysseni Episcopi &c. Videatur omnino
Leonis Allatii tractatus *de Georgiis.*

Alter non minus celebris erat Joannes Busæus
patria Noviomagensis, qui sexagesimo quarto
ætatis suæ anno Morguntia die trigesima
Maji fati cessit, ac inter plurima ingenii sui
monumenta posteris reliquit *disputationem Theologi-*

Miræus Catal. Script. Sæc. XVII.

Sæc. XVII. A. C. 1611. *cam de jejunio adversus Chemnitium, de Persona Christi unacum apologia contra Gerlachium, de descensu Christi adversus Lutheranos, apologiam pro Calendario Gregoriano, disputationem de Rosario, de Baptismi necessitate, de Missa Pontificia & plura alia, insuper varia manuscripta, veteresque Authores nova editione, & annotationibus illustrabat: Pari industria anno Christi millesimo sexcentesimo edi curabat Petri Blesensis opera, velut rem novam, quæque nunquam viderit lucem, cum tamen ei mox alia editio jam anno Domini millesimo quingentesimo decimo nono Parisinis literis excusa monstrata fuerit: Huic quoque editioni inseruit Busæus sermones sub nomine Blesensis, qui tamen in editione Parisina anno Salutis nostræ millesimo sexcentesimo sexagesimo septimo facta studiose omitti fuere, eo quod verum ipsorum Authorem Petrum Comestorem fuisse, compertum esset: sic quandoque bonus dormitat Homerus.*

Tertius est Petrus Ribadineira natione Hispanus, patria Toletanus, qui Catalogum de Scriptoribus Societatis usque ad annum Incarnationis Dominicæ millesimum sexcentessimum quintum produxit, atque ipse suam vitam, libros

librosque a se editos eidem inferuit. **Sæc. XVII.**
 Obiit autem Madriti die vigesima se- **A. C. 1611.**
 cunda Septembris octoginta quatuor
 annos natus: Scripsit vitas S. Ignatii,
 Jacobi Laynesii, Salmeronis, S. Fran-
 cisci Borgiæ, & Sanctorum omnium
 intra & extra Breviarium, præter me-
 ditationes, Dialogos, & Historiam Hi-
 spanicam Societatis &c.

Huic adjungimus Hieronymum Tor-
 res itidem Hispanum, qui Augustanæ
 Confessioni *confessionem Augustinianam* op-
 posuit, librosque edidit *contra Biden-
 bachium hæreticum, consutationem agenda
 cujusdam Ecclesiasticæ a Lutheranis consar-
 cinatæ, necnon commentaria in caput pri-
 mum Epistolæ ad Timothæum.* Hic Mo-
 nachii plusquam sexagenarius naturæ
 debitum solvit. Minoris nominis ex
 eadem Societate Scriptores, qui hoc
 anno obierunt, sunt Antonius de Pa-
 dilla, qui tractatum de efficacia gratiæ
 scripsit. Bernardus Colnagacus, qui
 Catanensibus Beatam Agatham suis
 scriptis vindicabat. Præterea Hiero-
 nymus Roman de rebus Toletanis va-
 rias edidit lucubrationes, sicut & Mar-
 tinus de Funez disputationes de Deo,
 vitiis & peccatis, & casibus conscien-
 tiæ publici juris fecit.

Sæc. XVII.
A. C. 1611.

§. LXXXIX.

Logenhagius hoc anno mortuus.

*Miræus
Script.
Sæc. XVII.
Andr. Bibl.
Belg.*

Inter Scriptores Ecclesiasticos pariter sibi locum vendicare videtur Jacobus a Logenhagen patria Antverpianus Ordinis S. Salvatoris sive S. Birgittæ apud Teneramundanas Virgines Spiritualis curæ Præfectus, qui *annotationes in Epistolam Canonicam Divi Jacobi, & Commentarium in Evangelium S. Lucæ* ex operibus Divi Augustini edidit; obiit autem ibidem Sacerdos Jubilarius.

§. XL.

Philippus Marbachius fatis fundus.

Ex Protestantibus celebrem se reddidit Philippus Marbachius, qui anno ætatis suæ sexagesimo primo die vigesima sexta Octobris Argentorati obiit, relictis variis ingenii sui monumentis, inter quæ potissimum celebrantur *refutatio examinis Christophori Irenæi, responsio necessaria ad maledicum librum Fratrum Haidelbergensium, necnon ejusdem epistolæ ad diversos.*

§. XLI.

§. XLI.

Sæc. XVII.
A. C. 1612.*Rudolphus II. Romanorum Imperator hoc anno mortuus.*

Annus hic supra millesimum sexcentis-
simus duodecimus præprimis plurimum, ac Maximorum Principum fune-
ribus insignis extitit, quippe præter Ernestum Archiepiscopum & S. R. J. Electorem Colonensem, qui die decima septima Februarii anno ætatis suæ quinquagesimo octavo Arnsburgi obiit, insuper Optimus Imperator Rudolphus II. die vigesima Januarii omnis carnis viam ingressus erat. Jamjam anno priore Rudolphus curarum pondere, tædio, ac senio pressus, ac olim a Ty-chone de Brahe, ut a propinquorum insidiis caveret, monitus, indies magis morosus, omnibus diffidens, tam pertinaciter in penetralibus secessibus sese continebat, ut Electores quidam inde occasionem nacti, in Norimbergensibus comitiis Cæsari declarare haud dubitarent, quod ipsum male hætenus administratæ Reipublicæ non omnino extra culpam esse suspicentur, ac de eligendo novo Romanorum Rege cogitandum censeant, quin tamen unquam ejus consensum, Votum, aut Domum Austriacam præterire cogitent: Ad

*Khevenhill.
tom. 7. p. 439.
Piajec. chron.
gest. p. 218.
Palat. invita
Rudolph. II.*

Sæc. XVII. hæc Imperator vitæ suæ finem instare
A. C. 1612. præsentens, hanc Electorum sollicitu-
 dinem ratam habuit, subjunxit tamen,
 optare se, ut antequam quid de Imperii
 Successore statueretur, comitia prius,
 quibus ipsemet interesse posset, habe-
 rentur: cum igitur inter S. R. J. Electo-
 res de verno tempore pro electione novi
 Regis Romanorum, Francofordiæ ce-
 lebranda, nominando convenisset, huic
 Conventui die duodecima Novembris
 quidem finis impositus est, quin Impe-
 rator præsens esse posset: postquam e-
 nim die vigesima prima Decembris
 Wolfgangum Neoburgicum Principem,
 qui paulo ante Pragam advenerat, ad
 alloquium admiserat, horam ferme di-
 midiam cum eo collocutus, post ejus
 discessum, cum indies magis morbus
 invalesceret, & ad sinistrum crus in-
 flammatio accederet, ad piam mortem
 obeundam devote sese parare incæpit,
 atque accersito conscientia suæ Mode-
 ratore, superioris vitæ noxas omnes
 eidem die decima nona Januarii do-
 lenter exposuit, altera die, cum Cubi-
 cularius circa horam septimam diei
 matutinam pro more tunicam porrigere
 pararet, Rudolphus tam repentina
 morte obrutus est, ut nec Sacri Via-
 tici, nec extremæ Unctionis remedia
 adhiberi possent. Occultabatur ali-
 quam

quamdiu obitus ejus, donec Mathias Sæc. XVII.
 Rex adventasset, quem Trautmansdorf- A. C. 1612.
 fuis Comes de funesto hoc fato mox
 certiozem reddidit. Vixerat Rudolphus
 annos quinquaginta novem & Menses
 sex: Regnum vero Hungaricum quadra-
 ginta, Bohemicum triginta septem, &
 Imperium triginta sex annis modera-
 batur. Funus Cæsareum die sexta Fe-
 bruarii in Templum a Principibus de-
 latum est, comitante illud Mathia Re-
 ge, qui trigesima Januarii Pragam ve-
 nerat. Tertia autem Octobris die so-
 lemnes habebantur exequiæ, Corpus-
 que defuncti Cæsaris in Templo arcis
 ad Sanctum Vitum tumulatum est, cui
 ignota manus hoc adscripsit epitaphium:

aVstrlaCæ stlrpls LUX, DUX aC
 Libra RUDoLphVs,
 Cæsareo genltVs sangVine Cæsar
 oblt.

§. XLII.

*Rudolphi II. Imperatoris Romani vita
 & elogium.*

Augustus hic Imperator Viennæ Au- Schonleben
 Proleg. II.
 cap. 8. §. 10.
 striæ ex Maria Caroli V. Filia, &
 Patre Maximiliano II. die decima octava Dan. Ere-
 mit. in itin.
 Germ.
 Julii anno Salutis nostræ millesimo quin-
 gentesimo quinquagesimo secundo pro- Palat. 1. c.
 pag. 115.
 genitus erat. Princeps primævo na- Gramond.
 pag. 31.
 turæ

F 5

Sæc. XVII. turæ beneficio mitis, aspectu satis de-
A. C. 1612. corus, fronte augusta, & ore non in-
 venusto, statura mediocris. Vividum
 illi erat ingenium, erectumque, judi-
 cium elimatum, suis in deliberationi-
 bus prudens, in consiliis providus, in
 juventute laboris impatiens, atque om-
 nium bonarum artium, & Matheseos
 præprimis Scientia præstans. Flagra-
 bat etiam magno Religionis Studio,
 quamvis Protestantibus multa conces-
 ferit, nonnisi eorum violentia, & Fra-
 trum odio compulsus, ac certum dun-
 taxat exitium, quod sibi & Catholicis
 omnibus paratum cernebat, declinatu-
 rus. Fausta non minus, quam mira
 erant Imperii ejus auspicia, Universo
 Orbe sibi tam eximium Cæsarem ag-
 gratulante. Inclinata vero ætate, cum
 illi in bello nec felicitas, nec in pace
 magnificentia deesset, integros dies &
 continuos in literarum otio transigebat,
 investigandis naturæ prodigiis, Alchy-
 miæ experimentis, picturis & horolo-
 giis componendis fors magis deditus,
 quam Imperii curæ & negotia permit-
 tere viderentur. Hæc tamen otia haud
 parum interturbabat lanquentis animi
 torpor, ac suspiciosus insidiarum metus,
 quocirca cum magis vergeret in sene-
 ctam, vix unquam ex Palatio suo se mo-
 vens, ægre in Templum, forasque pro-
 dibat,

dibat, raro intra arcis Pragensis porticus deambulans, & bella, quæ Turcis inferebat, per Legatos administrans, unde *sedendo vincere* dicebatur. Præterea in privato ministerio paucis oppido famulis utebatur, potissimumque mechanicis ac fœminis: publica etiam negotia nonnisi paucis, iisque communicabat Ministris, quos Religione fervidos, sibi que fidos noverat; inde vero ortæ erant Protestantium querelæ, qui hosce Ministros ad propriæ suæ utilitatis emolumentum Cæsaris voluntatem inclinare, & pro arbitrio suo Imperii summam non sine luculento justitiæ dispendio moderari vociferabantur: Ceterum nullas reliquerat proles, cum semper cælibem duxisset vitam, quamvis mulieres forma præstantes ardenti cum delectu caste dilexisset feratur: Regiam quoque magnificentiam cum sagaci parsimonia raro nexu copulabat, quocirca præter abacorum auream, argenteamque suppellectilem longe instructissimam, præter gemmarum, unionum, cimeliorum, ingenii que rarioris arte factorum operum abundantiam, hæredi suo reliquerat auri probatissimi, signati librarum centurias viginti quatuor, & argenti purioris itidem signati librarum centum sexaginta: insuper post obitum Cæsaris reconditus quidam thesaurus

a Ru-

Sæc. XVII.
A. C. 1612.

Sæc. XVII. a Ruscio detegebatur, qui septendecim
A. C. 1612. facile millionum auri summam expleffe
fertur.

§. XLIII.

*Mathias in Romanorum Regem Fran-
cofordiæ electus.*

*Mercur. Gal-
lobelg. l. 34.
pag. 292.
Piafeci. l. c.
Ludolph.
l. 12. c. 2.
num. 8.*

Haud diffitendum est, quod nonnulli, quibus facilis ad Rudolphi aures aditus patebat, hujus Cæsaris indulgentia abusi fuerint; eapropter non modo ipsemet paucis ante obitum diebus Wolfgangum Rumpfium, qui aulæ negotia male dirigebat, removit, sed etiam post ipsius obitum Mathias Bohemiæ Rex severe in Cæsaris familiares inquiri jussit, quos inter præcipue Ruscus, qui Rudolpho a cubiculis, & a fiscis cura erat, pluresque alii, paris suspitionis & infamiæ socii arctam in custodiam fuere dati, ac die nona Februarii de conspiratione aliisque arcanis molitionibus interrogati. Verum Ruscus infamiæ, publicique supplicii metu expugnatus, seipsum in carcere, in funiculo serico, quem ad lecti spondam, paxillumque deligarat, & ex quo clavem antehac Cæsarei cubilis auream gestabat, suspendit: ceteri vero debitas luebant pœnas. Rebus domesticis demum compositis, cum interim Joannes

nes

nes Georgius Saxonix Elector in distri-
ctu Saxonico, necnon Joannes Bipo-
tinus & Philippus Ludovicus Elector
Palatinus in circulo Rhenano Imperium
pro more administrarent, tandem Ele-
ctor Moguntinus ceteros S. R. J. Electro-
res Francofordiam evocabat, indicta
congressus die undecima Maji pro eli-
gendo Romanorum Rege. Quampri-
mum igitur præstituta die omnes con-
venerant Electores, ac ipsemet Mathias
Rex die vigesima tertia ejusdem Men-
sis splendido admodum ac frequenti
comitatu unacum Regina Conjuge sua
Francofordiam ingressus fuerat, præ-
missis de more solemnibus de novo Im-
perii Successore eligendo mutuæ habe-
bantur deliberationes, ac primo qui-
dem Ecclesiastici Electores unacum Sa-
xonix Electore in Albertum Austriæ
Archiducem inclinabant, alii vero Ma-
ximilianum Bavarix, alii Emanuelem
Sabaudix Ducem proponebant, tan-
dem vero ipso Alberto ad evitandas
simultates intercedente, die tertia Ju-
nii Mathias Imperator Romanus salu-
tatur, & decima quarta ejusdem Mensis
die ritu solemnibus coronatur, inaugura-
tionis Sacra exequente Joanne Suicardo
Electore ac Archiepiscopo Moguntino.
Tertio post die Anna Mathix Uxor in
Imperatricem eodem ferme ritu, sequenti
autem

Sæc. XVII.
A. C. 1612.

Masen. An-
nal. Trevir.
l. 23. Goldast.
Polit. Reichs-
hændal.
p. 1. fol. 88.

Sæc. XVII. autem anno die vigesima quinta Martii
A. C. 1612. in Hungariæ Reginam Pofonii in co-
 mitiis coronata est.

§. XLIV.

*Francofordienſis tumultus Senatum
inter & Cives.*

*Merc. Gal-
 lobelg. l. 34.
 pag. 302.
 & 359.*

Priusquam Imperator Francofordia
 abiret, Cives ad Templum euntem
 accedebant, efflagitantes, ut Civita-
 tis suæ privilegia, quæ hucusque Sen-
 natus solus in sua habebat potestate,
 sibi communicarentur, Judæi ejiceren-
 tur, usuræ modus statueretur, & de-
 mum frumenti forum in urbe institue-
 retur. Ad hæc quidem Cæsar eos be-
 ne sperare jussit, ipsi vero, cum rem
 nimium procrastinari crederent, post
 Cæsaris discessum arreptis armis Sena-
 tum ad communicanda ipsis privilegia
 adstrinxere. Re ad Cæsarem delata,
 atque in deliberationem vocata, Fran-
 cofordiensibus Cæsareo mandato injun-
 ctum, ut interim omnia in integrum
 restituerent, totamque causam Cæsa-
 ris cognitioni relinquerent: tandem
 vero per Electorem Moguntinum, &
 Hassiæ Landgravium Imperatoris De-
 putatos conventum est, ut Senatus
 omnia privilegia civibus ad hoc depu-
 tatis communicarent, ac deinceps ci-
 ves

ves ex suis honestos triginta sex Viros in Senatum sensim adlegendos nominarent: de Judæis autem quamprimum quid certi statuendum foret, interim vero de centum florenis plusquam octo usuræ nomine solvendi non essent, usque dum Cæsar aliter decreverit.

Sæc. XVII.
A. C. 1612.

§. XLV.

Mulhemum a Principibus Juliacensibus jure Civitatis donatum.

Jam supra mentio occurrebat de edicto, vi cujus Coloniensis Senatus insigni Catholicæ Religionis tuendæ studio flagrans inhibuit, ne clandestina in urbe conventicula a Sectariis haberentur, aut cives ad illorum Conciones Mulhemum, vel aliorum extra urbem excurrerent: cum autem Principes Juliacenses pro Protestantium sectæ addictis hanc libertatem ac hæresis profitendæ opportunitatem, insuperhabito Coloniensi edicto, stabilire & promoveri toto studio niterentur, hinc præfatum pagum jure Civitatis, amplis privilegiis, portuque mercatoribus commodo donare, proclamate publico constituerunt, injungentes, ut quisquis domicilium ibidem figere, vel ædes erigere cupiat, apud Principum delegatos se sisteret: Ut vero Catholicos

Merc. Gallo-belg. l. 8^e annal. tom. 7. l. 1. p. 99.

Sæc. XVII. A. C. 1612. licos quoque vel allicerent, vel saltem non offenderent, inter alia privilegia etiam hunc addidere articulum: *Præter Ecclesiæ Romanæ, utriusque Calvinianæ & Lutherianæ Religionis liberum ac publicum exercitium ibidem permittatur.*

§. XLVI.

*Coloniensium edictum adversus Juliacensium Principum proclama.**Merc. l. c.*

Non deerant quamplurimi, qui jam jam pro erigendis fabricis necessaria coemerent, atque adveherent, cui tamen proposito mature Coloniensis Senatus, promulgato edicto, die septima Aprilis, obstitit, demonstrans, quod antiquo jure, & Cæsarea auctoritate, Montensi ac Bergensi Comiti sæpius inhibitum fuerit, quoddam oppidum vel arcem in utraque Rheni ripa intra Rindorpium & Zundorpium exstruere, aut liberam omni ex parte navigationem præpedire. Verum Principes hoc Coloniense edictum opposito scripto die septima Maji refellere haud cunctabantur, ob- tendentes, quod Mulhemum jam ab antiquo jus civitatis habuerit, & Montis Comitis promissio non pro constituta servitute, sed pro personali tantum obligatione habenda sit, nec obstant privilegia Coloniensibus concessa, cum ea
salvo

salvo jure tertii intelligenda sint. Paulus post Colonienſes hoc Principum reſcriptum, omnesque allatas rationes tanquam inanes die vigefima Julii edicto novo confutarunt, ad quod nihil reſpondebant Principes, forte Cæſareo deterriti mandato, quo jam antea Mathias Cæſar die ſecunda Julii Principibus, intentata centum auri marcarum pœna præcepit, ut vectigalia nova abrogent, abductisque navibus tollant, & privatis quibuſcunque fabricam proſequi inhiſcant. Iterata ejuſmodi mandata Colonienſes præcipue contra privatos quosdam, qui loca quædam ædificiis commoda redemerant, obtinere, quibus tamen cum hi morem gerere detrectarent, Cæſar addita etiam proſcriptionis comminatione anno milieſimo ſexcentefimo decimo quarto præcepit, ut prioribus mandatis ſatiſfacerent, nihilominus Princeps Neoburgicus duntaxat tantum de vallo ſpatium demoliri curabat, ut curribus jam & plauſtris pateret tranſitus: Brandeburgicus vero cives & Architectos hortabatur, ut in ſuperhabito interdicto Cæſaris, *cujus tamen honorem ſemper ſalvum ad ann. ſe habere proteſtabatur, ſine omni periculo in cæpto opere pergerent, & ædificationem Mulhemenſem, quam optime poſſent, continuarent.* Hunc autem

Sæc. XVII.
A. C. 1612.

Goldaſt.
Conſt. Imp.
par. tom. I.
pag. 584.

Merc. Gallo-
belg. t. 10.
l. I. p. 126.
ad ann.
1614.

Hift. Eccleſ. Tom. LV.

G tem

Sæc. XVII. A. C. 1612. tem contemptum tandem Cæsar armis vindicare cogebatur, immisso Spinola, qui Mulhemum die vigesima quinta Augusti occupabat, vallis, ac munitionibus solo æquatis, novisque ædibus per opifices destructis, uti postea memorabimus.

§. XLVII.

Richerii liber de Ecclesiastica, & Politica Potestate.

Nec interea Gallia ac præcipue Sorbona a turbis quieverat; cum enim Nicolaus Verdunus recens electus Regii Senatus Præses Richerium Facultatis Theologicæ Syndicum magnis deprædicaret elogiis, quod nuper adversus Dominicanorum theses infallibilem Papæ auctoritatem tanto studio deprimere conatus fuerit, exinde hic idem ad majora audenda haud parum animabatur; nec deerat occasio sat opportune ab eodem Præsede oblata; hic enim Richerium rogabat, ut cuncta, quæ die vigesima septima Maji in præfata disputatione gesta fuissent, ad acta referret, simulque de Ecclesiæ Gallicæ libertatibus exactam notitiam & doctrinam sibi tanquam Regiæ Curiæ Capiti oppido necessariam, atque Ecclesiæ & Regno perquam utilem tradere, ac pro
ejus

ejus instructione scriptotenus hoc ar- Sæc. XVII.
 gumentum diducere vellet. Huic pe- A. C. 1612.
 tito Richerius, ut morem gereret, li-
 brum, cui titulus: *de Ecclesiastica &*
Politica Potestate conscripsit, eo faci-
 liori labore, quo pressius iisdem infi-
 stere decrevisset principiis, quæ in Ger-
 sonis Apologia nondum typis edita jam
 olim stabilierat. Hunc itaque tracta-
 tum Richerius, dissimulato tamen no-
 mine suo Parisiis inprimi curabat.

§. XLVIII.

*Deliberatio super hunc librum Facul-
tati ad tempus inhibita.*

Obscurus adhuc rumor de Richerii Argentre
 libro typis edito per urbem voli- collect. jud.
 tabat, cum jamjam anno priori de illo t. 2. p. 60.
 inter Curix Patres, Ecclesiasticos, &
 Facultatis Doctores pro affectuum di-
 versitate etiam diversa essent judicia,
 variaque ferverent molimina: Præpri-
 mis vero Perronius Cardinalis, & Ubal-
 dinus Papæ Nuntius plures Episcopos,
 Prælatos, Cancellarium, & non pau-
 cos Sorbonæ Doctores, atque inter eos
 Gammachium Duvallium, aliosque ad
 suas partes pertrahere nitebantur; aucto
 igitur eorum numero Cardinalis & Se-
 dis Apostolicæ Nuntius Regem ac Re-
 ginam accedentes declarabant, quod
 nisi

Sæc. XVII. nisi summo Pontifici per Richerium gra-
 A. C. 1612. viter offenso mox fatis fieret, altera
 die Parisiis Romam proficisci cogeren-
 tur. Haud segnior vicissim erat Riche-
 rius, qui ad Regium Senatum confugiens
 Verduno Præsidi exponebat, quod Ro-
 mana Curia Ecclesiæ Gallicanæ liber-
 tatem, & suprema Regis jura evertere
 niteretur, ne vero vel saltem in una
 occasione Jesuitis pepercisse videretur,
 hæc subjunxit: *Jesuitæ se in omnia Re-
 gni negotia, imo & in ipsa familiarum pe-
 nentralia ingerunt, atque a tempore, quo in
 Franciam revocati fuere, tantum in aula
 prævalent, ut eorum ambitio infallibiliter
 IPSIS AUT SOCIETATIS SUÆ
 RUINAM, aut Christianæ Republicæ ex-
 terminium causatura sit.* Hoc Richerii
 vaticinium tantopere afficiebat Senato-
 rum animos, ut hi die prima Februa-
 rii hujus anni præter Facultatis Deca-
 num & Richerium alios quatuor Do-
 ctiores ad Curiam venire juberent, si-
 gillatim quemlibet interrogantes, quid
 de illo libro audivissent, quem suo exa-
 mini subjicere vellent; (Authoris
 enim nomen vel dissimulabant, vel ad-
 huc ignorabant.) Præ ceteris ad hæc re-
 spondit Joachimus Forgemontius, quod
 a Scappio Nuntii Apostolici Auditore
 rogatus, quosdam Doctores inviserit,
 & cum illis sermones de hoc libro a
 Facul-

*Abregé de
 l'hist. Eccl.
 t. 10. p. 242.*

Facultate censuris perstringendo ha- Sæc. XVII.
 buerit: Vocatus quoque Richerius, ro- A. C. 1612.
 gatusque, quid ipse ad hujus libelli im-
 pressionem contulisset, ingenue fateba-
 tur, quod illius Author esset, huncque
 suum partum examini ac censuræ Sacræ
 Facultatis subicere, & si quid in eo
 erroneum deprehenderetur, non tan-
 tum calamo, sed & lacrimis delere pa-
 ratus foret. Perceptis ceterorum re-
 sponſis Curia Parisiensis, seu ut vocant
Parlamentum, Facultati sequens trans-
 misit edictum: *acriter ac palam reprehendatur Forgemontius, eoquod cum Audito-
 re, Viro alienigena, absque Regis permis-
 su contulerit, eique in seducendis, & sub-
 ornandis Regiis subditis contra omne jus
 gentium operam navarit, Richerius vero ad
 Præsidentem vocatus ab eo increpetur, quod
 imprudenter & absque ratione præfatum li-
 brum composuerit, eumque unacum Facul-
 tatis Theologicæ decretis propria auctoritate
 imprimi curarit: Ejusdem vero Facultatis
 Decanus omnes & singulos hortetur, ut
 antiquis Scholæ suæ doctrinis firmiter in-
 sistant, & ab exterorum consiliis ad turbas
 & dissidia non sine Regiæ auctoritatis &
 Ecclesiæ libertatum præjudicio tendentibus
 prorsus alieni sint.* Postea Poterius Præ-
 ses a Senatu rogabatur, ut Regi ac Re-
 ginæ crebras concursitationes manife-
 staret, quibus Papæ Nuntius haud pau-

Sæc. XVII. cos Facultatis Doctores eo inclinare
A. C. 1612. studuisset, ut hi præfatum Richerii tractatum censuris perstringerent, quod tamen nonnisi ad dissidia inter Regis subditos ferenda, & ad turbendam Status tranquillitatem collimare videretur. Die ultima Februarii Curia Facultatis Doctoribus præcepit, ut circa dictum librum ulteriori deliberationi supersederent, & libri exemplaria ad acta reponerent, donec a Curia aliter fuerit decretum: Facultas enim, priusquam Richerium hujus tractatus Authorem esse innotuerat, ad primam Martii diem desuper deliberare, librumque examini, ac censuræ subjicere decreverat.

§. XLIX.

*Præfatus liber a Synodis Senonensi
 & Aquensi proscriptus.*

*Abregé
 chron. tom. 3.
 ad an. 1612.
 Serres Franc.
 Hist. p. 906.
 Daniel hist.
 de France
 tom. 10.*

Hac Curiaë sententia nullatenus extincta erat contentio hunc in librum mota; quippe non modo Ecclesiastici, sed & saniores Laici observabant, quod Richerius ipsam quoque supremam Regis auctoritatem, quam stabilire niteretur, suis everteret principiis; cum enim gladium communitati vel Republicæ ad sui conservationem datum, eique Principem, si male gubernet, exauctorandi potestatem a Deo & jure naturali

Sæc. XVII.

A. C. 1612.

turali concessam fuisse, suo in libro tradidisset, ita ut communitas vel Respublica huic juri renuntiare non posset, exinde manifeste sequebatur, quod Richerius potestatem in Reges, quam Pontifici denegabat, communitati tribuerit. Eapropter suadentibus etiam quibusdam Proceribus, & hortante præsertim Nuntio Apostolico, ut tam noxium dogma radicitus evelleretur, Cardinalis Perronius Sennonensis Archiepiscopus die duodecima Martii cum suis Episcopis Comprovincialibus, Parisiensi, Meldensi, Aurelianensi, Antifiodorensi, Trecensi, Nivernensi & Carnotensi Parisiis Concilium celebrabat, discussoque per plures Sessiones Richerii libro, eum unanimi suffragio proscribebat, eoquod multa in eo continerentur *falsa, erronea, scandalosa, schismatica, & prout sonant hæretica, præter expositiones atque allegationes falsas.* Eapropter omnes Congregati Præsules singulis Christi fidelibus illius libri lectionem, & Bibliopolis & typographis Impressionem & venditionem inhihebant, de cetero autem palam profitebantur, quod per hanc condemnationem nullatenus jura Regis, & Coronæ Franciæ, aut immunitates, libertatesque Ecclesiæ Gallicanæ lædere vellent: Hæc censura Parisiis die decima sexta Martii jussu Episcopi

Sæc. XVII. scopi Parisiensis in urbis Ecclesiis, ac
A. C. 1612. in omnibus Diæcesis suæ Paroeciis
 promulgata est.

Horum Præfulum exemplum ipse etiam Heraldus Hospitalis Aquensis Archiepiscopus sequebatur, qui pariter convocata Synodo Provinciali cum pluribus aliis Episcopis librum Richerii condemnavit.

§. L.

Supplex Richerii libellus contra sui libri condemnationem.

*Argentre
 collect. Jud.
 de novis
 error. t. 3.
 pag. 146.*

Quamprimum Edmundus Richerius librum suum ab Episcopis esse proscriptum inaudierat, sui defensionem primis in curis habebat; cum autem omnes Ecclesiasticos (exceptis Bellovacensi & Turonensi Episcopis) necnon etiam Aulæ Ministros sibi adversos fore nosset, unica sibi spes reposita erat in Curiae Patribus, quibus etiam die decima tertia Aprilis Richerius libellum supplicem porrexit, exponens, quod habitis inter duodecim aut tredecim Præsules variis consultationibus, Metropolitanæ ac Diæcesani Episcopi die duodecima Martii Parisiis conventum, quem Provinciale Concilium appellabant, contempta Curiae Authoritate haberint, & quamvis nec hujus Provinciæ
 Clerus

Sæc. XVII.
A. C. 1612.

Clerus prævie fuerit convocatus, nec cetera ad Synodum requisita adhibita fuissent, nihilominus sequenti die librum suum, cujus tamen exemplaria ante hunc Conventum ad Curiaë scriinia ejus jussu fuissent deposita, condemnarint, ac censuris perstrinxerint, suumque decretum in Ecclesiis promulgari jusserint: quocirca ipse adversus hosce abusus præsens prosequendæ appellationis diploma Cancellariaë sigillo obsignandum porrigere coactus esset. Cum autem Cancellarius hunc ejus libellum rejiceret, Richerius hac repulsa, necnon doctrinæ in hoc libro coram Viris non suspectis vindicandæ venia eidem denegata, irritatus rogabat, ut ceteri Curiaë Patres horum Præsulum censuram nullam atque irritam declarare vellent: ut vero a se omnem nocivæ doctrinæ suspicionem caute removeret, Regio Senatui super editione sui libri hanc porrexit declarationem: *Ego Edmundus Richerius semper prætuli, atque etiamnum præ me fero, nullo alio unquam consilio, aut cujuscunque hortatu vel suasionem me libellum meum scripsisse, quam ut breviter demonstrarem, quænam essent principia doctrinæ majorum Scholæ Parisiensis, sed quia dum brevis esse volo, obscurus fio; atque perspexi quasdam propositiones memorati libelli, in ma-*

Sæc. XVII. lam partem acceptas: hinc protestor, & A. C. 1612. declaro, me semper voluisse, atque etiam nunc velle, & memetipsum, & libellum præfatum, omnemque meam doctrinam Sanctæ Sedis Apostolicæ, & Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ judicio subicere: ac permagnum concepisse dolorem, aliquas propositiones memorati libelli, sic à nonnullis contra mentem, sensum & intentionem meam captas, quasi justæ & legitime potestati summi Pontificis, & Dominorum Prælatorum Ecclesiæ, aliquid iminutum aut detractum vellem: quem quidem sensum, sicut & omnem aliam interpretationem Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ judicio contrariam, vehementer improbo & condemno: utque alias sæpe obtestatus sum, ita etiam in præsentiarum iterum obtestor, & declaro, me paratissimum esse, ad explicandas omnes propositiones dicti libelli in bonum, verum & Catholicum sensum. Verum Cancellarius, ne Richerii appellatio admitteretur, disertis verbis inhibuit, quamvis libellorum supplicum Magistri petitionem ipsius oppido æquam fore censerent.

§. LI.

Richerii appellatio a Rege, & supremæ Curie Patribus acceptata.

Atta-

Attamen Richerii appellatio haud in-
 grata fuisse videbatur reliquis Cu-
 riæ Patribus, qui paulopost publicum
 edictum, cui Regis nomen præfixerant,
 promulgabant, in quo sancitum, ut
 Richerii appellatio Cardinali Perronio,
 & Gondio Parisiensi Episcopo insinue-
 tur; quo facto Richerius non modo
 tanquam strenuus Gallicanæ libertatis
 Defensor, sed & libri sui doctrina velut
 Sacris literis, Sanctisque Patribus
 consona & in Galliis recepta a Senato-
 ribus deprædicabatur, econtra vero
 Præfulum conventus nil nisi te-
 merarius conatus esse dicebatur, eo-
 quod Episcoporum consensus illegitimis
 modis fuerit sollicitatus, auctor nec
 vocatus, nec auditus, ejusque liber
 non rite examinatus, & Episcopi sub
 doloso novum Agentem Archiepisco-
 palem creandi obtentu sine prævia Con-
 cilio indictione, & absque Regiis lite-
 ris contra Regis, Regiique Senatus au-
 thoritatem & edictum die prima Fe-
 bruarii emanatum convocati fuissent:
 Has igitur ob causas statutum erat, ut
 Archiepiscopus cum omnibus, qui hu-
 jus libri condemnationi subscripserunt,
 in suprema Curia compareant, perci-
 piantque eis significari, totam eorum a-
 ctionem declarari nullam, injuriis, scan-
 dalisque plenam, remque pessimi exem-
 pli

Sæc. XVII.
 A. C. 1612.

Argentre
 l. c. Serres
 Franc. Hist.
 pag. 906.

Sæc. XVII. pli esse, proin eis inhiberi, ne quid in
 A. C. 1612. posterum contra hujus libri Authorem,
 aut illius provocationem attentare præ-
 sumant, nisi gravissimas. incurrere pœ-
 nas velint. Tantas quidem turbas ex-
 citabat tantillus liber, ac inde exorta
 Sacerdotii & Imperii collisio.

§. LII.

*Pauli V. Literæ ad Gallicæ Episco-
 pos adversus Richerium.*

*Argentré
 l. c. tom. 3.
 pag. 189.*

Interim Sedis Apostolicæ Nuntius, ac
 non pauci Gallicæ Episcopi crebris
 literis sollicitabant Pontificem, ut Con-
 cillii sui Provincialis auctoritatem suo
 patrocinio firmaret, Regemque & Re-
 ginam ad evellenda perversæ hujus do-
 ctrinæ Zizania hortaretur: quocirca
 Paulus V. cujus potissimum intererat,
 primo Franciæ Oratori, donec alius
 Facultatis Syndicus esset creatus, al-
 loquii copiam denegabat, postea datis
 ad Regem, & Reginam literis immi-
 nens Ecclesiæ periculum, illatamque
 Sedi Apostolicæ injuriam gravissimis
 verbis exposuit, prospero admodum
 successu; Regina enim, quamprimum
 Pontificis literæ Mense Martio allatæ
 fuerant, Episcopis, quicquid hac in re
 utilius fore censerent, agendi potesta-
 tem indulsit. Præterea idem Pontifex
 die

die secundo Maji hanc in rem ad Fran-
 ciæ Episcopos literas dedit hujus teno-
 ris: *Significavit nobis noster Apostolicus*
Nuntius, editum fuisse Lutetice Parisiorum
librum de Ecclesiastica atque Politica
Potestate, pernicioſa doctrina, pravisque
dogmatibus refertum, & vos conveniſſe om-
nes, ut unanimi conſilio recognoſceretis er-
rores in eo contentos, ipſorumque cenſuram
accuratam ac diligentem faceretis, graviſ-
ſima ſane moleſtia affecit nos hic nuntius;
cum enim cupiamus augeri ſemper clariffi-
mi in Chriſto Filii noſtri Ludovici Regis
Chriſtianiffimi felicitatem, & iſtius am-
pliſſimi Regni quietem, atque tranquillita-
tem magis ac magis indies confirmari; mo-
leſtiſſime ferimus a nonnullis ea ſemina di-
ſpergi, ex quibus merito timere poſſimus,
ne repullulent inſauſta illa impietatis ger-
mina, quæ olim origines & cauſa omnium
perturbationum fuerunt, quibus Gallia uni-
verſa paulo ante adeo miſere afflicta ac di-
vexata fuit; ſed ex altera parte non medio-
cre ſolatium cepimus ex veſtra Sacerdotali
vigilantia, qua vos obſervare ac diligenter
cavere videmus, ne, qui callide nititur ſuper
ſeminare Zizania in Dominico agro, culturæ
veſtræ tradito, ſpe meſſis optatæ gaudere
poſſit, laudamus itaque plurimum veſtram
pietatem, prudentiam, diligentiam, ſtudium
ac ſedulitatem in paſtorali miniſterio, &
zelum ac virtutem illorum Sanctorum Pa-
 trum

Sæc. XVII.
 A. C. 1612.

Sæc. XVII. A. C. 1612. *trum celeberrimorum Galliae Antistitum, quorum memoriam Sancta Dei Ecclesia veneratur, in hac præclarissima actione vestra agnoscentes; Deo Patri misericordiarum gratias agimus, quod etsi quotidie afflictiones abundant, nunquam tamen opportune consolationes deficiant. Perturbant quidem nos scandala, sed consolatur nos fiducia, quam in eo habemus, qui facit cum tentatione proventum, illa permittens, ut probati manifesti fiant; quod istic existimamus nunc acceditis; & propterea tanto magis hortamur vos, studeatis ad Dei Gloriam sedulo perficere, quod summa laude adeo alacriter incepistis; potissimum cum vobis polliceri debeatis charissimos in Christo Filios nostros Ludovicum Regem Christianissimum, ac Mariam Reginam ejus Matrem, cujus egregiam pietatem toties experti estis, piis laboribus vestris futuros esse tum sponte sua, tum nostris efficacissimis exhortationibus; scripsimus quippe diligentissime de hoc negotio, & Venerabili Fratri Roberto Episcopo Montispolitiano Nuntio nostro Apostolico mandavimus, ut omni genere officii nostras literas subsequeretur apud Regias Majestates, constanter igitur, sicuti proculdubio futuros vos esse credimus, Ecclesie causam defendite; divinum honorem integrum illæsumque conservate, a quo Regni bonum, Regis felicitas, communisque tranquillitas vere dependet.*

§. LIII.

§. LIII.

Sæc. XVII.
A. C. 1612.*Edmundus Richerius Sorbonensi Syndicatu privatus.*

Sub idem tempus Cardinalis Perro-
 nius, Ubaldinus Papæ Nuntius, Spond. t. 3.
ad an. 1612.
 necnon Gondius Parisiensis Episcopus,
 & Episcoporum non pauci, qui Papæ
 auctoritatem nimium deprimi dolebant,
 Richerium de contumeliis in Papam
 sparsis insimulatum ad abdicandum
 Syndici officium compellere nitebantur,
 subrogando eidem Filefacco Parisiensis
 Ecclesiæ Theologo, ac Sancti Joannis ad
 Greviam Parocho. Hanc in rem die
 prima Junii Magister Franciscus Har-
 læus Abbas ad Sanctum Victorem Fa-
 cultati supplicabat, quatenus Edmun-
 do Richerio, quia jam satis diu Syndici
 provinciam administrasset, grates re-
 penderentur, novusque Syndicus eli-
 geretur. Ad hæc Nicolaus Rogeuant
 Decanus mox ita reposuit: „Nunquam
 „quidem in comitiis Facultatis tantam
 „Doctorum frequentiam vidi, dignitas
 „tamen Sacri Ordinis servari & retineri
 „non poterit, nisi omnes Magistri in
 „mutuam pacem & concordiam con-
 „spirent; quantum vero ætate & expe-
 „rientia consequi possum, nunquam
 „vidi & audiivi electionem ad Syndici
 „offi-

Sec. XVII. „officium certo aliquo temporis spatio
 A. C. 1612. „definiri, aut aliquem Syndicum a Fa-
 „cultate depositum, nisi ipsemet po-
 „stulasset alium suffici in locum suum,
 „vel nisi aliquid dignum depositione
 „commisisset, Richerius vero optime
 „meritus est de Academia, quam con-
 „tra adversariorum molitiones fartam
 „tectamque posteris servavit. „ His di-
 ctis Filescacus deprædicatis Richerii
 meritis oblatum sibi munus deprecaba-
 tur, ipsemet quoque Richerius denuo
 subjunxit, quod librum suum examini
 & censuræ sacræ Facultatis subjiceret:
 Ceterum Perronius Cardinalis eundem
 Filescacum postea ad suas partes per-
 trahebat.

Nihilominus ad Sorbonæ Conventum
 denuo vocabatur Richerius, qui percepta
 rei serie adversus suos hostes graviter
 questus est, quod pro obsequiis per plus-
 quam triginta annos adeo utiliter Theo-
 logico Collegio impensis tam parum re-
 sponderent, ea propter nunc nominis
 sui famam totis viribus defendere te-
 neretur, interim vero palam decla-
 raret, se nullatenus permissurum, ut
 Facultas super propositione ab Harlæo
 facta deliberet: interposita hac obte-
 statione Richerius insuper, de injuria
 sibi illata apud Curia Patres vehemen-
 ter querebatur; nec irrita successu; hi
 enim

enim hac in caussa Regis Regnique salutem verti existimantes, die tertia Julii misso Vicinio, qui Parlamento seu Curiae a secretis erat, Facultati inhi-
 bent, ne de electione alterius Syndici ageret: insuper mutuato Regis nomine, ad Sorbonam diploma, quo idem vetabatur, Regio sigillo munitum transmittunt, die prima Augusti in pleno Doctorum confessu recitatum. Prævaluit adversantium auctoritas; quippe non modo Præsules, sed ipsa etiam Regina, & præcipue Espernonius Dux, Condæus & Suessio Principes necnon Brullardus Curiae Cancellarius sese Richerio minus propensos exhibebant, imo ipse Verdunus, cujus tamen impulsu Richerius suum ediderat librum, mutato fortunæ vento vela vertebat, ac Curiae palam declarabat, quod Richerii appellationem acceptare, a Regina prohibitus, jussusque esset, ut omnia hujus causæ acta ad Reginam, quæ cuncta ad Nuntium Apostolicum transmisisset, deferret. Accedebat insuper novæ suspicionis occursum; Richerius enim ob singularem favorem, quo Jacobus I. Angliæ Rex ejus doctrinam velut ad conciliandos Catholicos & Protestantes aptissimam exceperat, de clandestino cum Angliæ & Hollandiæ Legatis commercio postulabatur: Demum rein Re-

Sæc. XVII.

A. C. 1612.

*Abregé de
l'hist. Eccl.
tom. 10.
pag. 262.*

Hist. Eccles. Tom. LV.

H

gio

Sæc. XVII. A. C. 1612. gio Senatu rursus agitata ex Curia
 Patribus quadraginta tres censebant,
 quod Facultatis Doctores per Richerii
 oppositionem nullatenus suo novum
 Syndicum eligendi jure privandi essent;
 quocirca Rex, ut tandem gliscenti in-
 ter Doctores dissidio finem imponeret,
 transmissis diplomate Sorbonicis Do-
 ctoribus injunxit, ut pro creando novo
 Syndico sua ferrent suffragia; die igitur
 prima Septembris urgentibus Duvallio
 & Filesaco Regiæ hæc literæ recitaban-
 tur, collectisque Doctorum suffragiis,
 cum ex Septuaginta omnino quadra-
 ginta sex Sorbonici Richerium officio
 movendum censerent, communi con-
 sensu statutum est, ut Richerio ob res
 hucusque, excepta libri sui editione,
 præclare gestas gratiæ agerentur, suf-
 fectoque in ejus locum Filesaco, Rex
 rogandus esset, ut hujus novi Syndici
 electionem ratam habere velit.

§. LIV.

*Richerii expostulatio adversus
Sorbonam.*

*Argentre
l. c. tom. 2.
pag. 63.*

Hac Facultatis sententia Richerius
 velut fulmine tactus obrigit,
 cumque in communi hac fortunæ male-
 volentia causæ suæ diffidere inciperet,
 saltem interposita oppositione famam
 suam

Sæc. XVII.
A. C. 1612.

suam tueri statuit; die igitur prima
 Octobris Sorbonam accessit, hæc in ver-
 ba perorans: „Vestram declarationem
 „duplici ex capite ratam habere nequeo.
 „I. Obsequia Facultati a me præstita
 „deprædicatis, conatum vero meum in
 „edendo libro satis noto excipitis, hæc
 „ipsa autem exceptio mihi, meoque
 „libello injuriosa a vestro decreto delen-
 „da est, cum ea Curixæ edicto prima
 „Februarii die promulgato, & regiis
 „literis, in quibus de hac exceptione
 „nulla sit mentio, adversa sit, nec e-
 „tiam a Nicolao Rogenautio, ut moris
 „fuiſſet, pronuntiata, minus vero a
 „potiori & saniori Doctorum parte de-
 „creta fuerit. II. Mihi inhibetis meam
 „prosequi appellationem pro honoris mei
 „defensione susceptam; hoc autem di-
 „vino ac naturali repugnat juri, quod
 „omnibus læsis moderatam sui nomi-
 „nis defensionem permittit: his de
 „cauſſis salvo honore Facultatis, quam
 „semper tanquam Matrem meam ve-
 „neror, contra vestrum decretum tan-
 „quam nullum reclamo, eo potissimum
 „nomine, quod illud a vobis concinna-
 „tum fuisse constet, urgente Fileſaco,
 „qui nullum non movit lapidem, ut me
 „a Syndici officio amoveret, & sese in-
 „truderet, quod ipſus haud obscure in-
 „ſinuabat, cum se tribus vel quatuor
 H 2 ab-

Sæc. XVII. „abhinc Mensibus ad hoc sollicitatum
 A. C. 1612. „fuisse, die prima Septembris in vestro
 „confessu fateretur, ac vix electus ea-
 „dem die in me inquirere ausus esset,
 „hanc vero illius & quamcunque dein-
 „ceps ab eo attentandam inquisitionem
 „velut irritam impræsentiarum decla-
 „ro, mihi que a vobis satisfactum iri
 „spero, secus vero aliis justitiæ viis mihi
 „prospicere adstringor. „ Verum cun-
 „cta hæc lamenta nonnisi aerem verbe-
 „rabant; quippe non modo Filesacus
 „suo in munere Regiis literis firmabatur,
 „sed etiam Durandus, Boucherius, Pel-
 „letrius, Calvimontius Advocatus, sub
 „quo tamen nomine Sirmondus Jesuita
 „latere creditur, Spondanus, Duval-
 „lius, alii que plures pietate atque eru-
 „ditione præstantes Viri contra Riche-
 „ristas calamos suos acuebant. Præ-
 „terea illi Doctores aut Baccalaurei, qui
 „novæ Richerii doctrinæ pertinacius in-
 „hærebant, variis pœnis multabantur,
 „quos inter primus Hieronymus Paren-
 „tius Regius linguæ Hebraicæ Professor
 „hujus severitatis experimentum habuit,
 „aliis incassum Hispanæ Inquisitionis
 „speciem in Franciam invehî queren-
 „tibus.

§. LV.

Pauli V. Pontificis literæ ad Principem Condæum & Sueffionensem Comitem.

Percepto hujus caussæ exitu summo-^{Argentre}
pere lætabatur Pontifex, qui ex ^{l. c.}
tot Doctorum oppositione firmiter sibi
persuasum habebat, nationi Gallicæ
falso imputari, quod universim senten-
tiam de infallibilitate & potestate Pon-
tificia aliis omnibus Nationibus contra-
riam teneat: cum autem potissimam
prosperi hujus successus causam exti-
tisse Condæum & Sueffionensem, haud
ignoraret, hinc die vigesima sexta Se-
ptembris Roma datis literis utrique
Principi grates rependit, & quidem
Condæo hunc in modum rescripsit: *Di-*
lecte Fili, Nuntius noster Apostolicus signi-
ficavit nobis, quanto pietatis zelo Nobilitas
tua curaverit, ut Regia auctoritate depo-
neretur Richerius Syndicus Facultatis Sor-
bonæ, qui adeo male sentiebat de Ecclesia-
sica potestate; hoc tamen veræ pietatis of-
ficiū minime novum nobis accidit, adeo
frequentibus experimentis perspectam habe-
mus ingenitam devotionem, qua veneraris
sanctam hanc Sedem: sed fuit quidem nobis
gratissimum, quia de eodem Nuntio nostro
accepimus, quanti momenti fuerit ad totius

Sæc. XVII. A. C. 1612. negotii absolutionem; obstrinxisti sane tibi plurimum nostram paternam charitatem; satis quidem antea Nobilitati tuæ præcipuo amore devinctam, quod libentissimo animo tibi ostendemus, quoties se nobis occasio offeret, idque ut uberius noster Nuntius declararet, mandavimus; a quo cum his nostris literis Benedictionem quoque Apostolicam, quam ex intimis nostri cordis visceribus tibi mittimus, accipies.

Literæ autem ad Suesionensem Comitem datæ hujus erant tenoris: Plane nihil aliud expectari poterat ab eximia pietate, qua Nobilitas tua prædita est, quam quod significavit nobis Venerabilis Frater Robertus, Episcopus Montispolitianus noster Nuntius, factum fuisse a te, ut abrogaretur Syndicatus Facultatis Sorbonæ Richerii de potestate Ecclesiastica doctrinam viro Catholico indignam profitentis; ex animo te quidem semper dileximus ob præclaras virtutes dignas apprime vero Principe tantæ nobilitatis ac Religionis: verum mirifice devinxisti tibi hoc egregio facinore nostram paternam charitatem, quod non modo ut noster Nuntius tibi exponet, sed nos quoque nostris his literis Nobilitati tuæ declarare voluimus, sed multo libentius etiam per occasionem reipsa comprobabimus, interim nostram Apostolicam Benedictionem tibi peramanter impertimur.

§. LVI.

Sæc. XVII.
A. C. 1611.*Concordia inter FF. Prædicatores &
Jesuitas per Philippum III. Hi-
spaniæ Regem conciliata.*

Interea imposito Pauli V. silentio ne-
quaquam crebra inter gratiæ effica-
cis vindices, & Molinæ defensores jur-
gia, mutua partium studia, aut dif-
fensiones quieverere: cum ergo Philip-
pus III. scandala in Ecclesiam exin e-
mergentia maturius ponderaret, liti-
gantes partes ad concordiam reducendi
negotium dabat Lermæo Duci supre-
mo Hispaniarum Administro, qui etiam
hanc in rem Mense Aprili Prædicato-
rum & Societatis Provinciales, Ludo-
vico Aliaga Regio Confessario, aliisque
primæ Nobilitatis Viris præsentibus, ad
suum convocabat Palatium, eis Regis
voluntatem exponens: Placuit omni-
bus Regis consilium, firmatur quoque
inter partes concordia, his utrinque
acceptatis conditionibus: I. Ad Scho-
lasticas exercitationes, neutra senten-
tia notis aut censuris perstricta, se in-
vicem invitent. II. Junctis votis pro
controversiæ definitione Pontifici sup-
plicant. III. Jesuitæ Divi Thomæ do-
ctrinam, auctoritatemque tueantur.
IV. Nullus alium ex suggestu dicteris

H 4

affi-

Sæc. XVII. afficiat. V. In privatis colloquiis ver-
 A.C. 1612. ba charitatem spirantia usurpent. VI.
 Mutuos defectus pacis studio dissimulent. Hæc pacta Rex sua firmabat auctoritate, moxque sub finem Aprilis uti promiserat, datis ad Paulum V. literis, pro Definitionis Apostolicæ promulgatione instabat: idem quoque præfiteri Fratres Prædicatores, qui die vigesima sexta ejusdem Mensis Antonium de Soto-major Romam ablegarunt, eo fine, ut Patres ibidem in comitiis congregatos ad petendam controversiæ definitionem sollicitaret: nec inanis erat ejusdem conatus; quippe omnes in comitiis congregati totius Ordinis nomine libellum supplicem hanc in rem die duodecima Junii summo Pontifici obtulerunt, adjecto etiam Hieronymi de la Nuza scripto, quo validissimis rationibus ad commune totius Ecclesiæ bonum spectantibus Pontificiæ definitionis necessitatem exponebatur: cum autem Societatis Patres, uti tamen secundo concordiæ articulo sponponderant, hujus causæ decisionem adeo non urgerent, ut etiam dissimulatis Authorum nominibus varia evulgarent scripta, quibus hanc definitionem declinare nitebantur, Lemosius eorum rationes evulgato scripto confutans, illud die duodecima Julii Paulo V.

lo V. porrigebat. Insuper Dominicani violatæ fidei Jesuitas infimulabant, eo quod primi pacti immemores Vallifolleti exeunte Mense Majo Prædeterminationem physicam haud obscure hæresis nota perstrinxissent, exposita palam hac Thesi: *non datur prædeterminationo physica, quia, ut opinamur, destruit libertatem, tollit auxilium sufficiens, & Deum facit authorem peccati,* Nihilominus infractæ fidei calumniam a se amoliri nitebantur Jesuitæ, asserentes, quod hæ particulæ, *ut opinamur,* non tam censuræ, quam argumenti speciem præferant, perinde ac si invidiosam notam *argumenti specie* tegere, non idem esset, ac invidiosam notam inurere. Ita nempe pristinas opiniones tuendi pertinacia impositi silentii leges eludebat, quas tamen summus Pontifex anno priori innovare nitebatur, dum die prima Decembris omnibus Nuntiis Apostolicis perscribi jussisset, *ut Religionum Superioribus, Universitatibus & Episcopis præcipiant, ne in materia de auxiliis, etiam sub obtentu commentandi Sanctum Thomam absque S. Inquisitionis venia quicquam typis edi permitterent.* Inopinatum hoc interdictum ægre habuit Societatis Patres, qui illud per Dominicanos a Papa fuisse extortum querebantur, sed perperam omnino; cum enim

Sæc. XVII.

A. C. 1612.

Livin. Meier

tom. I. l. 6.

c. 30. p. 729.

Idem. l. c.

Sæc. XVII. A. C. 1612. hi simulac a Paulo V. interdictum hoc fuisset vulgatum, supplices rogarent, ut hanc legem tollere, eisque liberam tractatus suos circa hoc argumentum typis vulgandi facultatem concedere velit, non videtur, hanc legem ab eis fuisse extortam: nec etiam in suo libello supplici hanc facultatem *sibi solis* concedi petebant, quamvis eam simul pro Jesuitis sollicitare haud obstricti essent.

§. LVII.

Decretum Claudii Aquavivæ Societatis Præpositi Generalis de modo tradendi gratiæ Divinæ efficaciam.

Serrii & Maier l. 6.

Cum Claudius Aquaviva Societatis Generalis a suis Assistentibus moneretur, consultum fore, ut Jesuitis, quantum fieri poterit, novas subinde opiniones excogitandi occasio præscindatur, hinc evulgato decreto suis præcepit, *ut in tradenda divinæ gratiæ efficacitate, Nostri eam opinionem sequantur, sive in libris, sive in lectionibus, sive in publicis disputationibus, quæ a plerisque Societatis nostræ Scriptoribus tradita, atque in controversia de auxiliis divinæ Gratia, coram Summis Pontificibus, piæ memorie Clemente VIII. & S. D. N. Paulo V.*

tan-

tanquam magis consentanea SS. Augusti- Sæc. XVII.
 no & Thomæ, gravissimorum Patrum ju- A. C. 1612.
 dicio explicata & defensa est. Nostri in
 posterum omnino doceant, inter eam gra-
 tiam, quæ effectum reipsa habet, atque ef-
 ficax dicitur, & eam, quam sufficientem
 nominant, non tantum discrimen esse in
 actu secundo, quia ex usu liberi arbitrii,
 etiam cooperantem gratiam habentis, effe-
 ctum sortiatur, altera non item; sed in
 ipso actu primo; quod, posita scientia
 conditionalium, ex efficaci Dei proposito
 atque intentione efficiendi certissime in no-
 bis boni, de industria ipse ea media seli-
 git, atque eo modo & tempore confert,
 quo videt effectum infallibiliter habitura;
 aliis usurus, si hæc inefficacia prævidisset,
 quare semper moraliter, & in ratione
 beneficii, plus aliquid in efficaci, quam in
 sufficienti gratia & in actu primo conti-
 neri: atque hac ratione efficere Deum, ut
 reipsa faciamus; non tantum qui dat
 gratiam, qua facere possimus, quod idem
 dicendum est de perseverantia, quæ pro-
 culdubio donum Dei est.

Huic insuper decreto adjunxit epi-
 stolam, in qua pro tuenda doctrinæ
 consensione ac firmitate aliquas præ-
 scripsit Regulas, & quidem hoc teno-
 re: I. In tuto erimus, si Divi Thomæ
 doctrinam tenuerimus. II. Si perspi-
 cuum sit, opinionem aliquam D. Thomæ
 repu-

Sæc. XVII. repugnare, nihil ultra morari juvat,
 A. C. 1612. certane sit? cum illam amplecti nobis
 non liceat, si autem mentem ejus gra-
 viores & antiqui Thomistæ varie expo-
 nant, probabiliorem partem cum iis-
 dem amplecti fas erit, citra violatæ An-
 gelicæ doctrinæ periculum, cavendum
 tamen est, & quidem serio, ne qui
 sponte in aliquam sententiam propen-
 dent, sparsas hinc inde S. Thomæ vo-
 culas aliquas emendicent, suumque in-
 sensum oblique detorqueant, ut illum
 a suis partibus stare jactitent; sed ejus
 potius sententiam ac mentem iis ex lo-
 cis venerari studeant, ubi argumen-
 tum illud tractavit ex instituto, non
 ubi cursim aut occasione tantum obiter
 attigit.

III. *Uno doctrinæ Duce semel posito
 ingeniorum libertas intra debitos modos
 continetur, satisque conceditur excurrendi
 campus, tametsi Doctori Angelico manci-
 pentur: eo sane modo (quamquam per
 omnia non stet comparatio) quo tot Ec-
 clesie Doctores tam varios tamque am-
 plos in Scripturam Sacram Commenta-
 rios adornarunt; licet nec latum unquam
 ab illius sensu aberrarint.*

IV. *Si quæ opiniones jam hætenus in
 lucem prodierunt, quæ a viris doctis uti
 maxime probabiles judicentur, ab erroris
 quidem, & novitatis ac temeritatis suspitione
 libe-*

liberantur: non ob id tamen a nobis defendi
possunt, si D. Thomæ contrariæ repu-
tentur.

Sæc. XVII.
A. C. 1612.

V. Ad docendæ Philosophiæ aut Theo-
logiæ munus non promoveantur, nisi qui D.
Thomæ doctrinæ sunt affecti, & a novandi
studio alieni. Si quos vero non ita affe-
ctos deprehenderit, qui probabilitatis ob-
tentu ab iis legibus deflecterent; illos licite
amoveant, & ad alia Societatis officia de-
putent, qui autem contrarias Angelico Do-
ctori opiniones traderent, aut in rebus Phi-
losophicis ad novitates declinarent, seu ex
proprii ingenii levitate, seu Scriptoris cu-
jusdam inferioris notæ auctoritate illecti;
ad hujuscemodi opinionum retractationem
quantocyus adigantur: nec ad Scholastici
stadii vel anni finem protrahatur retractatio;
cum nedum res dilatione inveterascere &
augeri soleant, sed & eas novitates disci-
puli tenacius ebibant, dum nullam toto an-
ni decursu emendationem experiuntur.

VI. Curent, ut Philosophiæ opiniones
Theologiæ serviant, Aristotelemque sequi
jubeant, ubi a doctrina divinitus tradita
non aberrat. In iis, quæ D. Thomas ex
instituto non attigit, nec certo sciri potest,
quid reipsa senserit, caveant in primis, quid
ex ejus principiis sponte fluat, aliisque
ipsius doctrinæ capitibus optime cohæreat.
Si enim vel ejus principiis repugnet, aut
cum aliis ejusdem dogmatibus minus con-
gruat,

Sæc. XVII. *gruat, docendum non est. Secundo, si nec*
 A. C. 1612. *id quidem detegi potest, nova ex arbitrio*
inducere non licet, nullis præeuntibus Scri-
ptoribus gravibus ac probatis: non enim
expedit in semita minus trita propriis duci
sensibus, unde & aberrare & in præceptis
ruere solitum est. Studiorum Præfecti se-
ligantur, qui in D. Thomæ doctrinam bene
affecti sint, quique simul, ut multis de caus-
is expedit, Professoris munus non obeant.

Hac ratione Claudius Aquaviva du-
 riorum Molinæ doctrinam per *Congruum*
 moderari nitebatur, præscribens
 suis systema, vi cuius explanare va-
 leant, quomodo Deus hominem ad bene
 operandum, imo & perseverandum in-
 clinare valeat (quin ad id immediate
 ac per suam omnipotentiam hominem
 determinet) eo ferme modo, quo sa-
 gax quidam Minister Principis sui vo-
 luntatem ad suum arbitrium inclinare
 solet; Deus enim prævisis omnibus, in
 quibus homo erit circumstantiis, simul
 prævidet, quod si hanc daturus sit gra-
 tiam, homo eidem consensurus sit, tum
 vero Deus, ut hanc illi gratiam im-
 pertiatur, se determinat. Hoc Aqua-
 vivæ decretum postea Piccolominæus
 Generalis innovabat. Prævaluit tamen
 Molinæ sententia, eo quod circa gratiæ
 efficaciam relicta esset eadem, quas
 in Congregationibus propugnabant, opi-
 niones

niones tuendi libertas: Observandum Sæc. XVII.
A. C. 1612.
insuper, quod idem P. Aquaviva Gene-
ralis jam anno Domini millesimo quin-
gentesimo octogesimo sexto circa gra-
tuitam Electorum prædestinationem ad
suos perscripserit: *Prædestinationis nec
ratio, nec conditio est ex parte nostra,
quia hanc Augustini doctrinam non modo
communiter Theologorum Schola jam reci-
pit, sed & Ecclesiæ Patres per mille &
ducentos circiter annos, qui id contendunt
probare ex Scripturis & responsis Pontifi-
cum Romanorum, nempe Zozimi, Sixti,
Cælestini, Leonis, Gelasii, apud quos
Massilienses, Cassianus, Faustus, alique
hujus prædestinationis oppugnatores male
semper audierunt.*

Salutaria hæc decreta Societatem
a pluribus calumniis, malisque vindi-
cassent, si fidelis eorum custodia fuisset
secuta.

§. LVIII.

*Ursulinarum Virginum Congregatio
in Ordinem Religiosum a Pau-
lo V. erecta.*

Prima hujus Instituti fundamenta jam Abregé
chron. a
l'an 1612.
tom. 3.
Balduin
chron.
Moral.
anno Domini millesimo quingente-
simo trigesimo tertio jecerat Beata
Virgo Angela Veronensis, quæ suo
exemplo multas Virgines ad sui seque-
lam

Sæc. XVII. lam & incæptum vitæ genus alliciens,
 A. C. 1612. eas in Sebusiano agro collegerat, eis-
 que nomen a S. Ursula indiderat, eo-
 quod hæc suo quoque exemplo Virgi-
 nes quamplurimas ad Dei & proximi
 obsequium, ipsamque Martyrii gloriam
 perduxisse crederetur. Huncigitur Cæ-
 tum civium liberalitate dotatum primo
 Brixienfis Episcopus, postea Paulus III.
 anno salutis nostræ millesimo quingen-
 tesimo quadragesimo quarto, & anno
 post Christum natum millesimo quin-
 gentesimo septuagesimo secundo Gre-
 gorius XIII. introducta claufura con-
 firmarunt: tandem vero hoc anno die
 undecima Novembris Nobilis Anna de
 Rouffi Parisiis suam domum in suburbio
 S. Jacobi hujus instituti Virginibus do-
 nabat, quo factò Magdalena Luillera,
 pientissima Vidua, ut Regularis disci-
 plina eo firmiter servaretur, favente
 Gondio Parisiensi Episcopo, & annuente
 Rege tantum effecit, ut hic cætus sub
 regula Sancti Augustini ad Ordinem
 Religiosum auctoritate Pontificis Pauli
 V. erigeretur, eo fine, ut hæ Virgi-
 nes votis Deo nuncupatis puellas sine
 mercede in suis Scholis in variis labo-
 ribus huic sexui accommodis, ac po-
 tissimum in vitæ Christianæ exercitiis
 instituerent. Hic ordo ab eodem sum-
 mo Pontifice anno Christi millesimo
 sex-

*Bonanni de
 Ord. Relig.*

Sæc. XVII.
A. C. 1612.

sexcentesimo decimo nono amplis de-
corabatur privilegiis. Demum vero hæ Virgines per Italiam, Franciam,
Germaniam, imo & Americam in Ca-
nadam usque navigantes, adeptis va-
riis domiciliis institutum suum propaga-
runt. Reperiuntur insuper Romæ sub
ejusdem Sanctæ Ursulæ invocatione a-
liæ Virgines, quæ a Francisca Mon-
tioux & Francisca Gourcy anno mille-
simo sexcentesimo secundo fundatæ
Asceterium ad Sanctam Ruffinam inco-
lunt: Hæ autem sine voti & clausuræ
legibus unice propriæ invigilant saluti.
Alii vero ejusmodi Virginum, quæ Ur-
sulinae dicuntur, cætus in Helvetia re-
periuntur, ac pariter instituendis puel-
lis intentæ sunt, fæminas quoque æ-
grotas aut sanguine junctas invisunt, & in
nosocomiis vel carceribus detentas pio
solatio recreant. Exstat quoque Cæ-
stillione Stiverorum, quod Longobar-
diæ oppidum est, Collegium Ursulina-
rum, quæ castitatis, & obedientiæ vo-
to sese obstringunt. Parmenses deni-
que & Placentinæ habitu, non tamen
vitæ genere ab aliis distinguuntur.

§. LIX.

*Laurentii Blancheti Cardinalis mors,
& elogium.*

Hist. Eccles. Tom. LV. I Hoc

Sæc. XVII.
A. C. 1612.

*Ciacon. in
vita Clem.
VIII. Viz-
zan. in hist.
Bonon.*

Hoc anno ex Purpuratis omnino sex rebus humanis erepti sunt, quos inter primus Laurentius Blanchetus Bononiæ primum vitæ suæ, & Romæ postremum diem duodecimum Martii habuit. Erat is in patria sua optimis disciplinis institutus, utriusque Juris Doctor, atque ob virilem animi gravitatem, ac virtutum, morumque integritatem Gregorio XIII. adeo commendatus, ut ab eo Sacræ Consultæ Prælati, Rotæque Romanæ Auditor, a Sixto autem quinto Gallicæ, Polonicæ & Germanæ Legationis focius eligeretur: tandem crescente meritorum gloria a Clemente VIII. ad intima consilia, & gravissima Ecclesiæ negotia adhibitus, in laboris præmium Cardinalis Presbyter renunciatus, variis præficebatur Congregationibus; unde obtenta purpura, ex honoris augmento laboris gravitas crevisse videbatur. Referunt, quod Marcellus Tolosa Clericus Regularis Vir sanctitatis fama conspicuus Laurentio in somno apparuerit, eumque de felici suo transitu certiores reddiderit: Credebatur æquo iracundior, hoc vitio, ut fertur, originem suam trahente a reprehendendi libertate, qua in cunctos, etiam se Superiores forte delinquentes utebatur: ceteroquin erat Vir pius, integer, liberalis præcipue

in pauperes, quibus omnes ferme fa- Sæc. XVII.
cultates suas, propria dextera eroga- A. C. 1612.
bat, paucis pro alenda, decora, non
tamen splendida sua familia reservatis.

§. LX.

Annæ D'Escars Cardinalis obitus.

Sequentis Mensis die decima nona Suffai. Mar-
Aprilis Vici in confinibus Germaniæ tyr. Gall.
septuagesimo sexto ætatis suæ anno de- ad diem 19.
cessit Anna d'Escars de Giury natione April.
Gallus, qui in liberalium artium, & Sammarth.
virtutum exercitiis sedulo enutritus, Gall. Christ.
& Divione Sancti Benedicti Regulam Frizzon.
professus, suprema Doctoratus laurea Gall. Pur-
Parisiis decoratus est. Accedente au- pur.
tem ad virtutum & eruditionis laudem
insigni prudentia, & illustri genere suo,
necnon innata morum comitate Ca-
roli IX. Franciæ Regis & Catharinæ
Medicæ gratiam sibi conciliabat, ac
primo Cænobii sui Abbas, ab Henrico
III. Abbas Molismensis & Pulterianus,
ac paulopost Lexoviensis Episcopus no-
minabatur, quam Ecclesiam ab hære-
ticorum faucibus eripuit, gregemque
Divini Verbi pabulo abunde refecit. Eni-
tuit immotum ejus erga Catholicam
Religionem studium fervente periculosa
Regem inter & Regni Proceres contro-
versia: unde Henricus Rex de eo di-
cere

Sæc. XVII. cere solitus erat: *incassum agitur cum*
A. C. 1612. *Cardinale de Giury, si aliquid a ratione*
& recto tramite devium ab eo postuletur.
 Tandem solo meritorum suffragio a Cle-
 mente VIII. cum Religionis causa Ro-
 mam pergeret, nil tale cogitans, Car-
 dinalium Collegio cooptatur, & Anno
 Salutis nostræ millesimo sexcentesimo
 nono Metensis Antistes renunciatus est,
 suamque Diæcesin a Calvini peste ex-
 purgans, tot ibidem hæreticos moriens
 reliquerat, quot ibidem Catholicos, ni-
 mirum paucissimos accedens invenerat.
 Jam supra mentionem fecimus de sa-
 lubribus Synodi suæ decretis. Porro
 morti vicinus omnia ferme bona sua in
 pias causas divisit, a propinquorum
 affectu adeo alienus, ut nullo pacto
 adduci posset, quatenus suis Nepotibus
 aliquod e Sacerdotiis, quæ possidebat,
 etiam ætate ad senium inclinante ce-
 deret.

§. LXI.

Gregorii Patrochini Cardinalis
mors.

Sacer Sancti Augustini Eremitarum
 Ordo hoc item anno mortem cele-
 berrimi Magistri Gregorii Patrochini
 Piceni desolebat. Hic Philosophiæ ac
 Theologiæ Doctor docendo & prædi-
 cando,

cando, aliisque præclaris animi dotibus sibi per singulos gradus ad supremum Ordinis Regimen viam patefecit, quo in munere non modo ad suorum utilitatem, sed & ad publicum totius Ecclesiæ bonum sese totum tanta regendi dexteritate & prudentia impendit, ut Italiæ ac Hispaniæ cænobia perlustrans timeretur, simulque amaretur ab omnibus: inde vero Romam redux a Sixto V. Cardinalis titulo Sancti Augustini renunciatus est, ferme solus ad totius Pontificatus negotia, variasque Congregationes adhibitus, quem etiam Paulus V. ob ingenuam dicendi libertatem, vitæ innocentiam, Divinarumque literarum scientiam maximi habuit: Tandem ad Prænestinum Episcopatum translatus, postquam patriæ suæ Templum largiter dotaverat, Romæ anno ætatis suæ septuagesimo septimo die decima octava Junii ad immortalem transit beatitudinem, sepultus in Ecclesia Sancti Augustini.

Sæc. XVII.

A. C. 1612.

§. LXII.

Flaminii Plati Cardinalis extrema.

Non minus communi mœrore, ac luctu parentatum est hoc anno Flaminio Plato nobili Mediolanensi, qui ibidem literis imbutus, & ob ingenii sui

*Hier. Plat.**de Card.**Ughell. in**add. ad Ciac.*

Sæc. XVII. **A. C. 1612.** fui felicitatem multiplici scientia præ-
fertim civili clarus, a Gregorio XIII.
Advocatus Consistorialis, a Sixto V.
 Rotæ Romanæ Judex, ac demum a
 Gregorio XIV. Cardinalis Diaconus
 creatus est, nonnisi ad expedienda ma-
 ximi momenti negotia selectus, quorum
 frequentia ac gravitas nullatenus eum
 abstertere poterat, quominus ad diver-
 sas Congregationes adscitus, æquo,
 tranquilloque animo omnes ad collo-
 quium admitteret, ipse ægrotos famu-
 los suos inviseret, auroque rei fami-
 liaris inopiam sublevaret. Tanta erat
 morum probitate, abstinencia, mode-
 ratione ac humilitate insignis, ut sola
 virtute super omnes eminere, cunctis
 vero obsequii studio sese demittere fa-
 tageret, quocirca, ne ejus modestia
 publico encomio læderetur, Rotæ de-
 cisiones, quas summo labore conscripse-
 rat, vivens nunquam in lucem edi pa-
 tiebatur, licet ipsa nominis sui dissimula-
 tione eo magis ejus fama augetur.
 Obiit Romæ anno ætatis suæ sexagesi-
 mo tertio die secunda Novembris, se-
 pultus in Ecclesia Nominis Jesu.

§. LXIII.

*Octavii Aquavivæ Cardinalis deces-
 sus, atque elogium.*

Die

Die duodecima Septembris anno ætatis suæ quinquagesimo secundo nimis præmatura morte ereptus est Octavius Aquaviva Neapolitanus, qui a Majorum splendore haud degeneratam pietate, quam scientiarum laude inclaudit, poeseos elegancia, solutæ orationis eloquentia, & idiomatum præsertim Græci exacta cognitione celeberrimus. Unde prævalente tot meritorum fama, Romam delatus a Sixto V. utriusque Signaturæ, ut vocant, Referendarius, a Gregorio XIV. Pontificiæ Domus Præfectus, mox Cardinalis Diaconus renuntiatur, designatus Campaniæ Legatus. Regnante autem Clemente VIII. Avenionensi legatione decoratus, necnon a Leone XI. Neapolitanus Archipræsul creatus, Ecclesiam Avenionensem ab Hugonottarum insultibus vindicabat, Neapolitanam vero pretiosis donis, novaque Canonorum prærogativa augebat, gregem denique suum verbo, exemplo, doctrina, consilio, opibusque usque ad vitæ suæ finem tam liberaliter pascebat, ut præter quotidianas eleemosynas in pauperes & pia loca erogatas, multaque ædificia & duo S. Francisci cænobia suo ære erecta plusquam aureorum octoginta sex millia in pauperes Viduas, Virgines, aliosque egenos distribueret:

Sæc. XVII.
A. C. 1612.

*Fellicet. &
Petramell. in
elog. Card.
Albi elog.
hist. de Card.*

Sæc. XVII. Erat in Sanctorum Patrum, præcipue
 A. C. 1612. Græcorum lectione assiduus, tamque
 erga Divi Thomæ Aquinatis doctrinam
 affectus, ut Theologicam ejus summam
 brevi temporis spatio in epitomen duo-
 bus voluminibus propria manu scriptis
 redigeret: Scripsit etiam tractatum de
 immaculata Conceptione B. V. Lega-
 verat omnem suam suppellectilem præ-
 ter aureorum millia viginti Sacello
 Montis Pietatis Neapolitani. Corpus
 autem ejus Neapoli in Metropolitana
 sua Ecclesia quiescit.

§. LXIV.

Lanfranci Margotii fatum.

*Jan. Nic.
 Eryth. Pi-
 nac. I.
 pag. 127.*

Postremus denique ex Purpuratis, qui
 hoc anno decesserunt, erat Lanfran-
 cus Margotius, Parmensis, qui ado-
 lescens Romam delatus apud Cynthium
 Cardinalem Aldobrandinum divertit,
 ac per gradus ad præfati Cardinalis fa-
 mulatum pervenit, eique ab epistolis
 fuit; non enim scientiarum præstantia,
 sed duntaxat in dilucida, gravi, ac sen-
 tentiis uberrima epistolas conscribendi
 arte eminuit, qua etiam sibi ad Apo-
 stolici Cubicularii, & Protonotarii di-
 gnitatem aditum pandebat, postea Cle-
 menti VIII. ab epistolis, necnon ab e-
 jus Successore Paulo V. solus ex Cle-
 mentis

mentis Papæ famulis assumptus, ad ar-
cana summi Pontificis negotia per lite-
ras pertractanda adhibebatur, & calami
fui velocitate Purpuram præripiens, in-
super Viterbiensem Episcopatum re-
gendum suscipiebat, quem tamen au-
licis distentus negotiis nunquam præ-
fens administrabat. Repentino obrutus
morbo a Pontifice invisebatur, atque
ab eo, quidnam desideraret, interro-
gatus, *nihil*, respondit, *nisi præteritæ
vitæ noxas mihi auctoritate tua divinitus
concessa dimitti*. Obiit Romæ die trige-
sima Novembris, annos natus quinquaginta tres, tumultus apud S. Petrum
ad vincula: Edidit insigne epistola-
rum volumen.

Sæc. XVII.
A. C. 1612.

§. LXV.

*Sacrarum Congregationum decisiones
jussu Pauli V. promulgatæ.*

Indefessa prorsus sollicitudine pastorali
summus Pontifex irrepentes corru-
ptelas tollere, exortisque dubiis, aut
controversiis mature de remedio pro-
spicere satagebat, huncque in finem
Patres variis Congregationibus præ-
positos sæpius accersebat, ut cum iis
de occurrentibus negotiis conferret:
Hujus paternæ curæ fructus erant cre-
bræ decisiones, quarum prima die vi-
gesima

*Ex decl.
Congr. Ri-
tuum & Epi-
scop. &c.*

Sæc. XVII. A. C. 1612. gesima octava Januarii declaratum, quod Canonici omnino ad cantandam Missam de die teneantur, ut distributiones lucrari valeant: die autem duodecima Martii statutum, quod aspersorium Episcopo ad Ecclesiam accedenti semper a prima dignitate, vel digniore Canonico ministrandam sit: cum autem Capellani Sodalitatum in suis Ecclesiis absque Ordinarii licentia Confessiones excipiendi facultatem sibi arrogarent, id eis omnino inhibitum fuit: Exorto etiam dubio, circa dignitates, die vigesima quarta Martii, respondit Sacra Rituum Congregatio, quod ante Dignitates non ponatur Pulvinar cum Tapete, sed debeant sedere in suis stallis, licet quandoque ratione dignitatis possit indulgeri Pulvinar de corio tantum: decisum quoque die quarta Maji, quod Canonici non debeant genuflectere ad benedictionem Episcopi, & quod Rectores Ecclesiarum Parochialium in supplicationibus non debeant incedere inter Dignitates & Canonicos, sed separatim, die etiam septima Julii sancitum, quod inferiores Episcopo non sumant de Altari Paramenta pro Missa, nec tamen Canonici teneantur assistere Episcopo, etiam quando Ordinatur extra propriam Ecclesiam, dummodo numerus sufficiens Canoniorum ac Ministrorum

rum in Ecclesia remaneat: servanda Sæc. XVII.
 tamen sit consuetudo, vi cuius Passio A. C. 1612.
 in Dominica Palmarum, & Feria sexta
 decantatur a Canonicis, non obstante
 Cæremoniali, in quo disponitur eam a
 Cantoribus esse decantandam. Decla-
 ratum quoque die prima Septembris,
 quod Episcopus inconsulta Sede Apo-
 stolica Canonicorum signum illis nec
 concedere nec mutare valeat. Eadem
 etiam die statutum est, quod festum
 Annuntiationis B. V. si occurrat in qua-
 dragesimæ Dominica, tunc non celebre-
 tur, nisi in Ecclesiis sub Annuntiationis
 invocatione dedicatis.

§. LXVI.

*Gabrielis Bathorii perfidia pari suo-
 rum perfidia multata.*

Augebantur hoc anno in Transylvania Panon. Hist.
 bellici tumultus, pluribus hunc part. I. c. 16.
 Principatum sibi vendicare connitenti-
 bus. Hos inter perfidus ille Nagius,
 qui sua in Cæsareos rebellione Batho-
 rio Transylvaniam rursus invadendi
 viam aperuerat, prospero armorum
 suorum successu inflatus, Bathorio im-
 perium eripere moliebatur, a Batho-
 rianis tamen ingenti suorum clade re-
 pressus: Nec tamen propterea a hoste
 liber erat Bathorius; cum enim sese ab
 Hun-

Sæc. XVII. Hungaris tota belli mole premi senti-
A. C. 1612. ret, Andream Giezyum, Virum rerum
 agendarum inprimis peritum, & in-
 dustrum, ac sibi, ut opinabatur, in
 paucis fidum Constantinopolin auxilia
 adversus hostes suos rogatum ablega-
 bat; Ceterum hic, ut perfidiam per-
 fidia multaret, Bathorium apud Ach-
 metem tot vere falsoque congestis cri-
 minibus decolorabat, ut Turcici Impe-
 ratoris animum ab eo penitus aliena-
 ret, & aucupata Achmetis gratia Gie-
 zius omni, quo prius Bathorius potie-
 batur, in Transylvaniam jure auctorare-
 tur: vicissim vero Giezyus tanquam pro-
 ditionis pignora Varadinum, Lippam
 & Geneam urbes se Turcicis præfidiis
 traditurum paciscebatur. Re percepta
 Bathorius ab Hungariæ Proceribus au-
 xilia petere compellebatur, quæ tamen,
 ne violatæ pacis calumniam Turcæ ob-
 jectarent, denegata fuere. interim ta-
 men Nagius declinantis in Bathorio
 auctoritatis contemptu audacior factus,
 novissimis istis rerum motibus, in Tran-
 sylvaniam irrepserat, Bathorium abs-
 dubio oppressurus, nisi hic eum ad se
 dolosa adulatione pellectum, & vino
 largiter hausto gravatum ad equestre
 certamen invitasset, ac turbidum ver-
 tiginè caput incassum excusantem fer-
 reo sceptro in vociferantis caput impacto
 truci-

*Ort. Rediv.
 Germ.
 pag. 1227.
 & 1266.*

Sæc. XVII.
A. C. 1612.

trucidasset: Hoc demum hoste libera-
tus Bathorius, alterum magis formi-
dandum, Giezyum nempe, debellare ag-
greditur, quem etiam Turcicis instru-
ctum ab Achmete copiis noctu nil mi-
nus suspicantem inopino, accerrimo-
que conflictu adorsus, Cronstadium us-
que auffugere compulit, ægerrime neci
subductum: cum autem hæc victoria
plurimum suorum dispendio stetit, ne
viribus exhaustus novi prælii periculum
subire cogeretur, in Temeswariensi
Turcarum Prætores spem suam collocat,
eumque misso Bethlenio Gabore donis
sat pretiosis suas ad partes adversus
Giezyum attrahere satagit. Verum
Bethlenius Oratorem in proditorem ver-
tens, Gabrielis Bathorii muneribus, &
mandato abusus, cum Temeswariensi
tanquam ipsomet præsentem Sultano tan-
tum verbis, promissis & pactis egit, ut
ejectis æmulis ipse solus rebus Tran-
sylvanicis præficeretur. Demum & va-
lidas, quas petiit, suppetias ab Otto-
manis extorsit: Unde Bathorius suorum
perfidia, hostium insidiis, ac fortunæ
invidia pressus, tandem Mathiæ Cæsa-
ris clementiæ ac tutelæ sese subicere
coactus est: Imperator autem Negra-
nium Legatum Constantinopolin que-
stum ablegabat, quod Achmetes pa-
cem utrinque stabilitam nova hac Tur-
carum

Sæc. XVII. carum in Transylvaniam irruptione vio-
A. C. 1612. lasset: Huic vero respondit Sultanus,
 quintum pacis articulum de Transyl-
 vania, in scio se, cui soli hæc ditio com-
 peteret, fuisse intrusum. Accepto hoc
 responso Mathias Turcarum perfidiam
 execratus, datis ad omnes Imperii
 Principes literis prompti auxilii necessi-
 tatem exposuit, exigua sinceræ execu-
 tionis spe; compertum enim erat, quod
 Foederati Protestantes, ac præcipue
 Batavi Cornelio Hagio Constantinopolin
 ablegato cum Turcis foedus contra Hispa-
 niæ Regem iniissent, liberamque utrinque
 commerciorum terra marique copiam
 iisdem cum privilegiis, quibus Galli &
 Angli ibi fruuntur, non minus cupide
 petiissent, ac feliciter obtinuissent.

§. LXVII.

Turbatæ Gallorum res.

Gramont.
l. I. Hist.
Gal.
Calmet Hist.
Univerf.
liv. 151.

Nec magis tranquilla in Galliis spira-
 bat aura; in plures enim partita
 administrationis Regiæ cura, omnia
 confusionibus plena erant, hoc vel illo
 suam auctoritatem augere intento, dum
 alii interim eam diminuere adlabora-
 bant: unde contigit, ut quidam Prin-
 cipes, qui Regina favente summa re-
 rum potiri videbantur, paulopost præ-
 valente aliorum æmulatione, aliisque
 in

Sæc. XVII.
A. C. 1612.

in gratiæ censum vocatis, ad privatam
ferme conditionem redacti cernerentur,
haud ab similes fluminum rivis, quorum
aliqui in suo cursu augentur, alii longius
excurrentes in sabulo evanescent. Colli-
debantur insuper Regii Sanguinis Prin-
cipes inter se ipsos, & hi non raro ad-
versus Reginam indignabantur: Sues-
sio & Condæus adversantur Sullio; at-
que ipsis Nuptiarum solemnibus per Princi-
pum absentiam turbatur lætitia; hi enim
consulto huic festivitati non intererant,
eo quod hoc connubium eis minus pro-
baretur, ac non consultis iis, quorum
præcipue intererat, pactum fuisset:
querebantur etiam, quod pecunia ab
Henrico relicta dissiparetur, eo quod
Franciæ sanguinem velut hirundines
fugant viri alienigenæ, quibus ruere
aut stare Galliam, perinde esset: ad-
debant quoque, „Regni administratio
„committitur ignaris, & si quid scirent,
„non ausuris; dejecti fuere muneribus,
„habituque in ludibrium, quos Regibus
„suis, quos Galliæ fuisse fideles, do-
„cent facta ipsorum, & Henrici sele-
„ctus.„ Postremis his verbis allude-
bant ad Sullium, cui ærarii procura-
tio a Regina fuit adempta, & Castro-
novano, Thuano & Janino adjecta,
quamvis paulopost omnis administratio
in solum Janinum fuisset translata. In-
super

a Regina utriusque cædis veniam Re- Sæc. XVII.
 gio diplomate obtinuit, ea tamen lege, A. C. 1612.
 ut procul aula, Regisque, donec ira re-
 sedisset, conspectu abesset. Hic tamen
 sequenti anno ex confracti bellici tor-
 menti fragmento misere periit.

§. LXVIII.

*Conjuratio in Parmensem Ducem
detecta.*

Hoc item anno Parmæ nonnulli Pro-
 ceres atrocem in hujus Ducis vi-
 tam movebant seditionem: præcipua
 hujus conjurationis capita erant Hora-
 tius Simoneta unacum Comitissa So-
 lana Conjuge sua, Hieronymus Mar-
 chio Solanus cum Filio suo, Pius To-
 rellius, Alphonsus Sanvitalis, & Joan-
 nes Baptista Massa Comites. Hi per
 ipsam Solanæ ambitionem proditi die
 decima nona Maji perduellionis suæ
 pœnas capitis supplicio luere cogeban-
 tur: Onuphrius autem, qui Marchioni
 a secretis erat, necnon Olivarius qui-
 dam Nobilis Parmensis, & Bartholo-
 mæus Renverfonius Marchionis aulæ
 Præfectus in crucem acti sunt. Horum
 vero familiares, iisque affinitate juncti,
 ut suorum sanguinem ulciscerentur,
 postea ditionem Parmensem incendiis
 ac rapinis fœde devastabant.

Hist. Eccles. Tom. LV. K §. LXIX.

Sæc. XVII.
A. C. 1612.

§. LXIX.

Bosius Romæ captus.

*Gramond.
l. i. Hist.
Gall.*

*Jæger Eccl.
Hist. i. 2. c. 4.*

Sub idem tempus Abbas quidam natione Gallus, nomine Bosius, a Franciæ Regina Romam sub obtentu specialis Legationis decernebatur: mox autem decreto Sedis Apostolicæ captus ad arcem Sancti Angeli deducitur, ibidem usque ad extremum vitæ halitum detentus. Accusabatur, quod Parisiis non raro de summo Pontifice e suggestu liberius ad populum dixisset, ac temere pro libertatibus Gallicanis plura congestisset, quæ tanquam læsæ Majestatis crimen a Romana Curia ultricibus pœnis expianda credebantur. Utrum vero in sanctiore Regis Senatu instigantibus quibusdam decretum fuerit, ut sub legationis obtentu Bosius Romano tribunali traderetur, id quidem incertum est, licet Richerii fatum conjecturæ ansam præbuerit: Referunt nonnulli, quod Bosius propinato veneno obierit, quod tamen veritatis speciem haud præsefert; cum Romanis Judicibus nec causa, nec potentia defuisset, illum, si mortem promeritus fuisset, jam dudum consueta via juris plectendi.

§. LXX.

§. LXX.

Sæc. XVII.
A. C. 1612.*Principum aliorumque illustrium Vi-
rorum obitus.*

Præter jam memoratos Rudolphum Gramond.
Cæsarem & Coloniensem Electorem, l. i. p. 31.
plures hoc anno Principes, ac illustres Calmet hist.
Viri fatis concessere. Hos inter Fran- Univ. l. 152.
ciscus Gonzaga IV. Mantuæ Dux a quin- pag. 402.
que haud amplius dierum ardente febri,
solstitio brumali, die undecima Decem-
bris, postridie vero mox ejus Filia de-
cesserant, hæc connubii, ille masculæ
prolis exfors, cui Ferdinandus Fran-
cisci Germanus Cardinalitio galero le-
gitime seposito successerat. Paulopost
Mantuani Ducis funus Walliæ Prin-
cipis, Henrici Stuarti mors interpel-
labat; hic enim suo ævo omnium le-
tissimus Princeps supra ætatem ferox,
Gallis minax, magnanimitate tamen,
indolis nobilitate, morumque comitate
longe præstantissimus, nonnisi octode-
cim annos natus die duodecima No-
vembris mortis victima cecidit. Refe-
runt Scriptorum nonnulli, quod Jaco- Merc. Gallo-
bus I. Angliæ Rex Filii sui meritis in- belg. l. 34.
videns, ipsum veneno necarit, cujus
tamen nullum omnino indicium di-
fecto ejus corpore apparuit. Non de-
sunt tamen, qui credunt hunc Princi-
pem

Sæc. XVII. pem metu rerum novarum, quibus se fau-
 A. C. 1612. torem ostenderat, exhaustum obiisse: ad-
 —————
 eo parum est stabilis fortuna Principum,
 qui & fato æquantur subditis. Eodem
 anno die decima octava Februarii ho-
 rum funera præcesserat infausta Vin-
 centii I. Mantuani Ducis mors, quam
 brevi obitus Mantuanæ Ducissæ, quæ
 Vincentii uxor erat, sequebatur. Præ-
 terea idem naturæ debitum solvit Leo-
 nardus Donatus Venetorum Dux, qui
 sub æstivis caloribus inopine meatu
 spiritus intercluso die decima sexta Ju-
 lii obiit, cui die vigesimo quinto ejus-
 dem Mensis Antonius Memmius septua-
 genario major subrogatus est.

§. LXXI.

Pacificationis capita inter Ferdinandum Styriæ Archiducem & Venetos Viennæ proposita.

Jam dudum inter Ferdinandum Sty-
 riæ Archiducem & Rempublicam
 Venetam acris fervebat contentio, orta
 ex crebris deprædationibus Uscocho-
 rum: Hi olim ad declinandam Turca-
 rum sævitiam ex Dalmatia ad Zengen-
 sem urbem, quam eis Ferdinandus
 Cæsar assignabat, confugiebant, progres-
 su autem temporis Piratarum more ra-
 pinis & deprædationibus mare infestum
 red-

reddebant, ac Venetis ingens damnum inferebant. Non autem omnium erat eadem omnino perversa rapiendi voluntas; horum enim quidam, qui *Casalini* seu *Domestici* vel cives appellabantur, quietam in urbe vitam ducebant: alii vero *Stipendiarii* vocati fuerunt, eo quod Cæsaris ac Ferdinandi stipendia merentes, suis parebant Tribunis: Denique alii, quos *Adventitios* nominabant, ex Ottomanicis terris profugi, sese ceteris conjungebant, ac non nisi rapto vivere assueti erant: cum ergo Veneti promiscue arma in Zengenses verterent, Ferdinandus innoxios defensusurus, bellum contra Venetos parabat, quod tamen nondum in apertas erumpebat flammæ, cum tempestive hoc anno Viennæ transactionis capita utrinque erigerentur, hujus tenoris. I. *Ferdinandus Archidux recipiat, quod mare a piratis securum reddere, & non permittere velit, ut illud a Sengensibus, & aliis infestum reddatur, injuriaque vicinis populis inferatur.* II. *Transgressores Senga proscribantur, & exterminentur.* III. *Præfectus aliquis eximie auctoritatis ad Sengam constituatur.* IV. *Quod a præsidio Germanico Sengam introducendo Archidux hætenus abstinuit, ideo factum putetur, ne necessitatem ipsi hoc faciendi impositam fuisse, quis existimaret, Cæsar tamen in posterum ut præsidium istud*

Sæc. XVII. Germanum ibi constituatur, faciat. V.
 A. C. 1612. Omnia ista, Venetis captivos dimittentibus
 & obsidionem solventibus, in effectum pro-
 ducantur. VI. Navigationes & commer-
 cia in pristinum statum restituantur. VII.
 Amicitia & familiaritas sincere colatur.
 VIII. Quod ad navigationis libertatem &
 immunitatem attinet, ejus tractatio ad tem-
 pus aliud differatur.

§. LXXII.

S. Alberti Leodiensis Episcopi
translatio.

Bald. chron.
 Moral.
 pag. 1010.

Jam ab anno Domini millesimo cente-
 simo nonagesimo secundo, quo San-
 ctus Albertus Leodiensis Episcopus pro
 defensione libertatis Ecclesiasticæ glo-
 riosum subiit triumphum, hujus Mar-
 tyris Corpus Rhemis sine singulari ho-
 nore sepultum quiescebat, illud vero
 Melchior Briocensis Episcopus hoc anno
 solemnī pompa elevatum Bruxellas
 transtulit, Albertus vero Austriæ Ar-
 chidux & Belgii Princeps sacrum hoc
 pignus pro sua in Cælites pietate in Re-
 gio Carmelitarum Virginum cænobio,
 quod non ita pridem a fundamentis ex-
 struendum, dotandumque curabat, die
 decima tertia Decembris honorifice col-
 locari jussit. Anno autem proxime se-
 quenti Paulus V. Pontifex Maximus be-
 nigne

nigne indulfit, ut Bruxellenses, & Rhe- Sæc. XVII.
 menfes Ecclesiastici de hoc Sancto tan- A. C. 1612.
 quam Pontifice ac Martyre die vigesi-
 ma prima Novembris Officium quotan-
 nis recitarent, dato hanc in rem, die
 decima nona Augusti, diplomate Apo-
 stolico.

§. LXXIII.

Concilium Diœcesanum Coloniense.

Constat equidem, quod Elias Baby- *Lenglet.*
 loniæ Patriarcha Synodum in Me- *Tabl. Chron.*
 fopotamia eo fine celebrarit, ut ibidem *de l'hist. Uni-*
 fidei Catholicæ Professio a Paulo V. ex- *vers. l'Esprit*
 planata acceptaretur, incertum tamen *Chron. 1672.*
 est, quo anno hæc Synodus fuerit ce- *a Paris.*
 lebrata, cum Lengletus ad hunc, alius
 tamen recentior illam ad annum Do-
 mini millesimum sexcentimum deci-
 mum sextum rejiciat. Extra omne au-
 tem dubium est, quod Ferdinandus Ba-
 varix Dux atque Archiepiscopus Colo-
 niensis, qui Ernesto nuper defuncto suc-
 cesserat, die decima tertia Martii Diœ-
 cesanam celebrarit Synodum, in qua
 innovatis plerisque Prædecessoris sui
 Statutis circa Clericorum mores decerni-
 tur, ut omnes Clerici nondum Sacer-
 dotes, quoties in solemnioribus festis
 Sacram Synaxin recipiunt, etiam co-
 ronam sibi renovari, & Comam ton-
 deri

Sæc. XVII.
A. C. 1612. deri curent, Pastoribus vero inhibetur, ne communionem sub utraque specie siue consensu Sedis Apostolicæ administrent, nec matrimonio jungant Catholicos cum hæreticis, nisi moralis spes conversionis subsit: eadem ferme decreta in Concilio die secunda Octobris Coloniae celebrato innovata reperimus. Eodem quoque anno Franciscus Buiferet Namurcensis Episcopus, cum Synodum celebrare justis ex causis præpediretur, capitularem, ut vocant, Congregationem Concilii Geldonienfis in Gallica Brabantia die quarta Mensis Junii habuit, in qua tamen præter ea, quæ in aliis Synodis passim statuta leguntur, nihil singulare decrevit.

§. LXXIV.

Archidiaconale Concilium Hasbania in Ecclesia Leodiensi celebratum.

Cong. Germ.
t. 4. p. 180. Juxta Ecclesiæ decreta Archidiaconi cum suo Clero sæpius Synodos celebrare jubentur, ejusmodi igitur Synodum Arnoldus Hildesheimensis Præpositus, & Hasbaniae Archidiaconus auctoritate sui Episcopi cum sui Archidiaconatus Clericis die decima quinta Septembris celebrabat, ubi observandum, quod Synodus postremos dies Paschæ, Pentecostes, Nativitatis Domini, S. Catha-

Catharinæ & alios quidem abrogarit, Sæc. XVII.
A. C. 1612.
 non tamen fideles suos ad manuum labore adstrinxerit, sed potius eos juxta exemplum defuncti Episcopi sui Ernesti hortata fuerit, ut illi, qui sine labore manuum vivendi facultatem habent, cultum Dei his diebus augeant, ceteri vero quod de Sanctorum cultu remittunt, frequentioribus ad Deum precibus compensent (*). Insuper Synodus *taxam*, ut vocant, præscripsit pro vitæ stipendio & labore functionum Ecclesiasticarum percipiendam.

§. LXXV.

Synodus Diœcesana Boscodunensis & Gandavenfis.

Die nona Mensis Octobris pariter Gilbertus Masius Buscodunensis Episcopus suam celebrabat Synodum, in qua cum hæreticis conversari, linguæ addiscendæ, vel mercaturæ gratia in eorum ditiones emigrare, aut si qui eo peragrarare teneantur, eorum sectam simulare, jejunia, vel festos dies præterire, aut cum eis temere disputare, severe inhibatum legimus: prohibetur etiam, ne Catholici vel per se, vel

K 5

(*) Hoc idem jam anno 1608. in Synode Leodiensi statutum est.

Sæc. XVII. per Procuratorem infantem a Ministro
A. C. 1612. hæretico Baptizandum suscipiant, *cum
 sint fideijussores de adhibenda cura prolis
 susceptæ in fide Catholica instituendæ.*

Sequenti anno Henricus Franciscus de Burck Episcopus Gandavensis decreta Concilii Provincialis anno 1607. celebrati, uti in Sacris Canonibus cautum est, indicta hac Synodo die undecima Mensis Septembris promulgari curabat, variis decretis ibidem sancitis, atque ad viginti quatuor Reformationis capita redactis: Præcipue vero observandum venit, quod in ea referatur, *hæreticis in more esse, ut etiam ad periculossime laborantes non curent advocari Pastorem, antequam agonizent, vel usum lingue cum intellectu amiserint, atque ita omnis admonitionis sint incapaces, & ad Sacramenta rite suscipienda se disponere non possint: tum vero Pastor accersitur, ut morientium famæ consulatur, qui propriae salutis consulere noluerunt, & ne indigni videantur Ecclesiastica sepultura: ut his periculossimis fraudibus utcumque obvietur, Pastores singuli, simul atque aliquem subditorum de hæresi non temere suspectum ægrotare cognoverint, mox ægrotum accedent, etiam non vocati & aperte & candidè cum eo agent, non celantes suspicionem hæreseos, qua laborat, & discrete proponentes, quæ ad resipiscentiam*
 & con-

Et contritionem excitandam facere iudicabunt, debitam fidei professionem ab eodem exigent, Et ad piam Sacramentorum susceptionem ipsum inducere conabuntur. Et si quis forte ita monitus debitam fidei professionem emittere, ac Sacramenta suscipere pertinaciter recusaverit, eidem morienti Ecclesiastica denegetur sepultura.

Sæc. XVII.

A. C. 1612.

Præterea Synodus veterem consuetudinem ad initium verni jejunii confessionem deponendi in usum revocat: usum quoque cupreorum & stanneorum calicum interdicit: declarat insuper, quod Festo Nativitatis Dominicæ in feriam sextam incidente, carnes comedere omnibus licitum sit, atque ab eodem festo usque ad festum Purificationis, diebus Sabbatinis esus carniū ex veteri consuetudine hujus patriæ permittatur.

§. LXXVI.

Succensus Salmuriensis Hugonottarum conventus, necnon Ultrajedensis Conciliabuli acta.

Adhucdum in Salmuriensibus suis comitiis congregati erant Hugonottæ, quos inter continua fervebat dissensio; cum enim conventus sui Præsidem eligerent Plessæum Mornæum, Ballionius Dux hunc sibi præferri indignatus,

*Calmet hist. Univ. l. 151.
Daniel hist. de France tom. 10.*

Sæc. XVII.
A. C. 1612.

tus, non sine vehementi animi com-
matione discessit, ab aliis tamen postea
placatus, ac Sullio Duci reconciliatus
rediit: Præprimis inter se arctam unio-
nem firmare intenti, scriptotenus suas
querelas, & cetera Reginæ proponen-
da conceperunt, perinde ac si legitimam
querendi ansam haberent illi, qui an-
tiquam Ecclesiæ Gallicanæ possessionem
privata auctoritate interturbarunt, ac
nonnisi ob præpotentiam hucusque in
Regno tolerati fuerant. Quocirca
Regina, quæ in his comitiis non tam
de Deputatorum electione, quam fir-
manda eorum potentia agi probe co-
gnoverat, quantocius Salmurium duos
ablegabatur, qui Calvinistis significarent,
ut rupta omni mora sex Deputatos, ex
quibus duos ad procurandas in Aula
causas Regina seligeret, nominarent,
eisque Scriptum eorum querelas conti-
nens committerent. Verum Hugonot-
tæ de Reginæ mandato haud solliciti,
primum discussis privatis eorum causis
nonnisi die quinta Septembris anni prio-
ris suos sex Deputatos Lutetiam
Parisiensium ablegabatur, ex quibus Re-
gina Rouvraium & Milleterium sele-
git: cum autem Regio responso ad eo-
rum querelas dato sibi haud satis fa-
ctum crederent, Regina ad discutienda
illorum lamenta suos Deputatos ad om-
nes

Sæc. XVII.

A. C. 1612.

nes decernebat Provincias, dato eisdem negotio, ut initæ cum illis concordæ pacta in usum deducere fatagerent. Sub idem tempus Calvinistæ nationalem, ut vocabant, Synodum Privatii Vivariensi oppido celebrarunt, in qua Ferratum Ministrum Calvinianum, eo quod de amplectenda fide Catholica ipsis suspectus esset, Concionatoris munere abegerunt: postea Regias repudiarunt literas, quibus delicti venia concedebatur illis, qui absque Regis licentia conventus egerant. Die etiam vigesima quarta Augusti Hollandiæ Status Provinciam Ultrajectinæ Diæcesis Synodum celebrarunt, cui præclarum hunc præfixerunt titulum: *Christianæ Ecclesiarum ordinationes Civitatis, oppidorum, & Diæcesis Ultrajectinæ, conclusæ ac editæ a Nobilibus, ac potentibus D. D. Statibus ejusdem Provinciæ*: Præcipua vero eorum decreta circa Pastorum suorum munia versabantur, unde luculento demonstrarunt testimonio, quod in eorum Ecclesia oves pascant, regantque suos Pastores, discipuli ex Cathedra suos doceant Magistros, Auditores concionentur Prædicantibus, & Synodorum statuta obtrudantur iis, quibus ea præscribere competeret, Ministrellis hanc divinæ dispositionis everfionem unice id eo tolerantibus, ne unacum uxore, quam

Sæc. XVII. A. C. 1612. quam novi Evangelii amore omnes du-
xerunt, multiplicatisque prolibus ostia-
tim victum conquirere cogantur: Cum
autem Rex comperisset, quod Hugo-
nottæ apud Sanctones, Aquitanos, Bri-
tannos, Pictones & Rupellenses identi-
dem tumultuari inciperent, eis severif-
sime indixit, ne in aliorum perniciem
quicquam molirentur, nec conventus
celebrarent, aut arma pararent, nisi
pœna pacis turbatoribus constituta
plecti mallent.

§. LXXVII.

Nicolai le Fewre seu Fabri obitus.

*Perrault
homm. illustr.
tom. 2.
Dupin. nou-
vell. Bibl.
du Siecl.
XVII.
Serran.
Franc. Hist.
pag. 919.*

Hoc quoque anno ex Literatis non
pauci viam æternitatis ingressi sunt,
quos inter primus occurrit Nicolaus
Faber patria Parisinus, qui, dum cala-
mum pararet ad usum, sibi dextrum
oculum cutello eruit, nihilominus Tau-
rini, Papiæ & Bonnoniæ studia sua
prosecutus, ac universam peragratus
Italiam, Romæ arctam cum literatis,
præcipue cum Sigonio & Mureto ami-
citiam fovebat, nec sine ingenii sui pro-
ventu; quippe hausta profunda anti-
quitatum cognitione in Franciam redux
pervolvendis veterum operibus, quæ
cum manu exarratis codicibus quam-
plurimis conferebat, totum se imper-
derat,

derat, editis primo Senecæ operi- Sæc. XVII.
 bus, quæ eruditis annotationibus il- A. C. 1612.
 lustrabat: postea literarum commer-
 cium instituit cum doctissimis illius
 ævi Viris Perronio, Rapino, Loifolio,
 Casaubono, Sirmondo, Pithæo, &
 Baronio, cui etiam pro suis Annali-
 bus varias annotationes subministra-
 bat: Postea Mathematicis exerci-
 tationibus vacans, errorem in demon-
 stratione quadraturæ Circuli a Scalige-
 ro facta detexit, pluraque circa Aria-
 nismi Historiam gesta, maximi momenti
 hucusque incognita in præfatione ad
 S. Hilarii operum fragmenta clariori
 luci exposuit: Tandem Condæum Prin-
 cipem ab Henrico IV. & postea Ludo-
 vicum XIII. informare a Regina jussus,
 expleto laudabiliter hoc munere die ter-
 tia Novembris anno ætatis suæ sexage-
 simo nono obiit. Plura vel edidit, vel
 aliis edenda subministravit, quin un-
 quam sui nominis mentionem fieri pa-
 teretur, qua ipsa tamen nominis dissi-
 mulatione haud parum nomen suum au-
 gebat: Suo autem nomine vulgabat
 decisionem hujus quæstionis: *an ad evi-
 tandum majus malum liceat patrare minus?*
 ubi posito discrimine inter ea, quæ ex
 se mala. seu jure naturali & Divino sunt
 prohibita, & ea, quæ ex hominum præ-
 ceptis mala sunt, statuit, quod primi ge-
 neris

neris

Sæc. XVII. neris mala nunquam, secundi vero ge-
 A. C. 1612. neris mala quandoque facere liceat,
 cum in eo eventu ejusmodi leges vel
 inutiles vel nocivæ evadant. Insuper
 Nicolaus præter eruditissimas suas præ-
 fationes in Senecam Philosophum, Se-
 necam Rhetorem, & in fragmenta S.
 Hilarii, doctissima quædam Novi Testa-
 menti loca explanabat. Denique po-
 steris reliquit quædam poemata, atque
 epistolas sana crisi uberes.

§. LXXVIII.

*Eliæ Reusneri & Joannis Fungeri
 extrema.*

*Beier Syllab.
 Prof. Jen.*

Obiit etiam hoc anno die tertia Se-
 ptembris Elias Reusnerus Leopoli
 in Russia minore anno Christi millesimo
 quingentesimo quinquagesimo quinto
 natus. Hic Jenæ Poeseos & Historiæ
 Professor edidit *Genealogiam Imperato-
 rum, Regum &c. Diarium historicum, se-
 ptem quæstiones de tempore mundi conditi,
 & de donatione Constantini &c.* Præterea
 scripsit opus *Genealogicum Catholicum, Isa-
 gogen historicam, chronologias in Isagogen,
 Chronologiam Historiæ Romanæ &c.* Hu-
 jus obitum prævenerat Joannes Fun-
 gerus Lugduni Batavorum natus, qui
*Symbolorum ethicorum explicationes, qua-
 tuor libros Messias, librum de conflagra-
 tione*

tione mundi, etymologicum trilingue, pluraque alia typis edidit: Decessit die undecima Maji. Sæc. XVII.
A. C. 1612.

§. LXXIX.

Hametes Magus profligato Marocci Rege, devictus.

Exstitit hoc tempore in Mauritania *Jæger. Eccl.
Hist. l. 2.
cap. 6.*
Rex quidam, nomine Muleius Hametes, qui diabolicis præstigiis adversus omnem vim externam se tutum esse jactitabat, & militare tympanum, quod quidam, Facquetes nomine, ante centum & amplius annos absconderat, & ab Hamete quodam in lucem aliquando proferendum prædixit, se invenisse gloriabatur: Hoc igitur tympano instructus, ad pugnam pro veritate ineundam incolas sollicitabat, adversus Sidanem Marocci Regem in bellum profectus; cum autem suorum nonnisi trecentos numeraret, Sidanes vero cum quadraginta millibus occurreret, hi fugam arripere parant: at ab Hamete animati, cum jamjam hostium castris imminerent, prospicientes paululum, hostem ab incognito exercitu jam fuscum, fugatumque viderunt, quin adhuc in eum movissent: Parta incantationibus suis victoria Hametes ad fluvium processit, ne vero quisquam suorum ex eo

Hist. Eccles. Tom. LV.

L

bibe-

Sæc. XVII. biberet, interdixit, mortem id facien-
A. C. 1612. tibus interminatus: cum autem aliqui
 mandatum hoc transgressi essent, subita-
 nea paulopost morte extincti sunt. Demum plura sibi loca subjecerat Hametes, contractoque viginti quinque millium exercitu adversus Christianos bellum movere statuit, prius vero Sidanem Marocci Regem, qui instructa acie adventum ejus expectabat, aggressus suis persuaserat, quod hostilia belli tormenta ipsis nocere non possent: igitur hac securitatis sponcione animati, Sidanis castra tanto impetu invasere, ut vix horæ unius spatio millibus sex & amplius cæsis in fugam reliquos agerent, ex Hametis exercitu vix quatuor aut quinque cæsis, qui vero glandibus pluribus percussi fuerant, stigmata, nulla vero vulnera ostentabant: postea Hametes exspoliatis pluribus locis thesauros ingentes colligebat, ad Fessanum usque Regnum progressus; terrore enim & metu percussi omnes, ipsum, etsi nec ferro nec flamma uteretur, ultro admiserunt: Salutatus quoque ab Hollandis quibusdam, se divinitus missum edixit, ut malum omne abrogaret, legem Dei instauraret, Sidanem Regno profligaret, & pacem Orbi restitueret: monuit igitur eos, ne cum Sidane commercii quicquam haberent. **Attramen**
 cum

PAULUS V. P. MATHIAS I. OCC. IMP. 163

cum victoriam aliquoties a Sidane Ma-
rocci Rege retulisset, ejusque Metro-
poli potitus esset, tandem arte ejus dia-
bolica destitutus ab eodem Rege pro-
fligatus, atque ad internecionem cæ-
sus est.

Sæc. XVII.
A. C. 1613.



HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

CONTINUATÆ.

LIBER CXC.

PAULUS V. SUMM. PONTIFEX.
MATHIAS I. OCCID. IMP.

§. I.

*Propositiones ex libro P. Martini Be-
cani S. J. extractæ.*

Nullo unquam ævo tam atrox bel-
lum adversus Literatorum scripta
librosque in Galliis fuerat inten-
tatum, quam proximo hoc triennio, in
quo Maria Medicæa Franciæ Regina in-
ter Principes & paucos Aulæ Ministros
Regni administrandi curam partiebatur,
& supremæ Curiæ Senatus, seu ut

*Serran.
Franc. Hist.
pag. 922.
Hist. du
Parlem.*

L 2

vocant